DE GRÆCORUM
JUDICIORUM ORIGINE

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

LUDOVICUS BRÉHIER

UNIVERSITATIS PARISIENSIS OLIM ALUMNUS

IN LYCÆO AUGUSTÆ VEROMANDUORUM AGGREGATUS HISTORIÆ PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA BONAPARTE, 28

MDCCCXCIX

DE GRÆCORUM

JUDICIORUM ORIGINE

LE PUY-EN-VELAY

IMPRIMERIE RÉGIS MARCHESSOU

DE GRÆCORUM
JUDICIORUM ORIGINE

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

Ludovicus BRÉHIER

UNIVERSITATIS PARISIENSIS OLIM ALUMNUS

IN LYCÆO AUGUSTÆ VEROMANDUORUM AGGREGATUS HISTORIÆ PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA BONAPARTE, 28

MDCCCXCIX

EMINENTISSIMO MAGISTRO SUO

P. GUIRAUD

FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROFESSOR

GRATISSIMI AC DEVOTISSIMI ANIMI

PIGNUS

DEDICABAT

L. BRÉHIER.

INDEX SCRIPTORUM

QUI MAXIME AD NOSTRUM PROPOSITUM PERTINENT

I. — DE HOMERI VITA ATQUE OPERIBUS

1. Ebeling, *Lexicon Homericum.* Leipzig, 1876.

2. Monro, *Homeric Grammar.* Oxford, 1891.

3. Croiset, *Histoire de la littérature grecque.* I : « Homère. — La poésie cyclique. — Hésiode. » Paris, 1887 et 1896.

4. Kirchoff, *Die homerische Odyssee und ihre Enstehung*, 1859.

— *Die Composition der Odyssee*, 1869.

5. Niese, *Die Entwickelung der Homerischen Poesie.* Berlin, 1882.

6. Christ, *Griechische Litteraturgeschichte* (Handb. der Ivan Müller, VII).

7. Bertrin, *La question homérique.* Paris, 1897.

II. — DE IIS AUCTORIBUS QUI PRISTINORUM JUDICIORUM RATIONEM EXPLANAVERUNT

8. Platner, *Notiones juris et justitiae ex Homeri et Hesiodi carminibus explicatae.* Marbourg, 1819, in-8°.

9. Schœmann, *Griechische Alterthümer* (Galuski in gallicam linguam vertit. Tomus I, caput i : « La Grèce homérique »). Paris, 1884, in-8°.

10. Eichoff, *Die Blutrache bei den Griechen.* Duisburg, 1872, in-8°.

11. Robiou, *Questions homériques.* III : « Institutions et coutumes de la Grèce aux temps héroïques comparées à celles des divers peuples » (Bibliothèque de l'École des Hautes Études, XXVII, 1876), in-8°.

12. Buchholz, *Die homerische Realien.* II [1] : « Das offentliche Leben der Griechen. » Leipzig, 1881, in-8°.

13. Fanta, *Der Staat in der Ilias und Odyssee.* Innsbrück, 1882, in-8°.

14. Esmein, *Un contrat dans l'Olympe homérique* (*Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'École française de Rome,* VIII, 1888, pp. 426-438).

15. Herman, *Lehrbuch der griechischen Antiquitæt.* III : « Rechtsalterthümer (Thalheim). » Friburg, 1895, in-8°.

16. d'Arbois de Jubainville, *Cours de littérature celtique.* Tomus VII : « Études sur le droit celtique, » I. Paris, 1895 (passim).

17. Gilbert, *Beitraege zur Entwickelungsgeschichte der griechischen Gerichtsverfahrens und des griechischen Rechts.* Leipzig, 1896, in-8°.

III. — DE PRISCO ATHENIENSIUM JURE

18. Perrot, *Essai sur le droit public d'Athènes.* Paris, 1867, in-8°.

19. Thonissen, *Le droit public de la république athénienne.* Bruxelles, 1875, in-8°.

20. Gleue, *De homicidarum in Areopago Atheniensi judicio.* Gœttingen, 1894, in-8°.

21. Beauchet, *Histoire du droit privé de la république athénienne.* I : « La Famille. » Paris, 1897, in-8°.

22. Gilbert. (*op. cit.,* 17).

23. *Recueil des Inscriptions juridiques grecques* (Dareste-Haussoullier-Th. Reinach). II, i, xxi : « Loi de Dracon sur le meurtre. » Paris, 1898.

IV. — QUALIS FUERIT JUDICIORUM RATIO APUD GENTES QUAE PRISCOS MORES RETINUERUNT

24. Summer-Maine, *L'ancien droit considéré dans ses rapports avec l'histoire de la Société primitive* (trad. franç. Courcelle-Seneuil). Paris, 1874, in-8°.

25. Summer-Maine, *Études sur l'histoire des institutions primitives* (trad. Durieu). Paris, 1880, in-8°.

26. Dareste, *Études d'histoire du droit.* Paris, 1889, in-8°.

27. Feydel, *Mœurs et coutumes des Corses.* Paris, 1802.

28. Tarde, *Les transformations du droit.* I : « Droit criminel » ; — II : « Procédure. » Paris, 1893, in-18.

PROŒMIUM

QUIBUS TESTIMONIIS PRISCA GRÆCORUM DE JUDICIIS INSTITUTA COGNOVERIMUS

Qui exquirere decreverunt quæ fuerint antiquissima Græcorum instituta nullis aliis testimoniis niti solent, nisi fabulis quibusdam quæ, maxime Homeri carminibus insita, ad nos pervenerunt. Quæ autem a poetis ficta sunt ad veritatem nihil pertinere satis manifestum est; attamen hæc poemata, temporum, in quibus edita sunt, haud inania monumenta fieri possint, modo ad sanam rationem inspecta fuerint. Jam nonnulli, et quidem inter clarissimos, hoc exemplum nobis præbuerunt quomodo ex priscis fabulis veritatem sicut mendaciis opertam extraherent [1]. Nam nulli non notum est quibus argumentis Renanus, quum pristinas res Judæorum, aut Mommsenius quum Romanorum tractaret, illud effecerint. A quibus hoc in lucem proditum est, in omnibus fabulis quæ apud nos « légendes » vocantur, permulta quidem ficta, aliquid autem veri inesse. Multum quidem abest ut illi asserant quæ a poetis narrantur omnino vel partim reipsa exstitisse. Poetæ vero, quum heroas fingerent, eos non aliter quam sui temporis homines agentes induxerunt. Nec aliud fingere poterant quam quæ sub eorum oculis quotidie versabantur. Quemadmodum Romani Græcive aut temporis ubi Christus vivebat æquales, a pictoribus medii ævi, italicis germani-

1. Jam Aristoteles in *Politica* qui fuerint priscorum Graecorum mores, ex homericis fabulis exquisivit (*Polit.*, III, IX, 2).

cisque vestibus induuntur, iisdemque moribus indulgere videntur, ac si anno millesimo quingentesimo post J. C. natum vitam egerint, ita in *Iliade* aut *Odyssea* Agamemno Achillesque eosdem mores usurpant qui tempore, ubi poemata illa ficta sunt, usitati erant.

Quæ quum ita sint, cur, si illorum heroum consuetudines sagaciter inspexeris, homerici ævi instituta attingere non possis? Omnibus locis ubi Homerus lites tractari fingit collectis, cur non perspicue intelligas qui prisca illa ætate, apud Græcos mos judiciorum fuerit?

Quamvis enim hanc litem non renovaverim utrum *Ilias* et *Odyssæa* ab uno Homero compositæ fuerint, necne, attamen non animadvertere non possum plerumque illos qui de Homero tractaverunt et ab illo uno *Iliadem* et *Odyssæam* fictas esse negaverunt [1], maxime quum verborum genus vel totius poematis ordinem inspexerint, inter multos Homeri locos discrimina invenisse. Itaque multi ex illis testimoniis *Iliadem* et *Odyssæam* a pluribus exactas esse senserunt. Sic inter grammaticos Fick [2] ac Monro [3], num plura fuerint in Homero dicendi genera, exquirendi curam susceperunt. Qui demonstrare conati sunt primum in æolica lingua poemata illa condita, postea vero in ionicam translata fuisse, nec tamen adeo ut etiamnunc prioris linguæ vestigia non discernere possemus [4]. Quodsi ad librorum dispositionem spectemus, apud nos Croiset exquisivit qui fuerint in Iliade loci quibus principio, ut ita dicam, poema instructum sit [5]. Qui primum librum, τὴν Μῆνιν, ac undecimum, Ἀγαμέμνονος ἀριστέια. et quindecimum sexdecimumque, τὴν Πατροκλεῖαν, denique vicesimum secundum, τὴν Ἕκτορος θάνατον, ab Homero forsitan conditos esse asserit; ceteros vero, Diomedis scilicet facinora, aut τὴν Δολωνεῖαν, aut τὴν Θεομαχίαν...

1. Hoc tamen nuper affirmavit Bertrin (*La question homérique*. Paris, 1897), sed potius argumentis, quæ maxime ad verborum orationisque genus spectant, assensit. Jam de illa quæstione antiqui scriptores dubitaverunt (Hellanicus apud Proclum; — Müller, *Fragm. hist. græc.*, t. I, 46, 7).

2. Fick, *Die homerische Odyssee in der ursprünglichen Sprachform wiederhergestellt*, 1883.

3. Monro, *Homeric Grammar*. Oxford, 1891.

4. Id., p. 386.

5. M. Croiset, *Histoire de la littérature grecque*. t. I, pp. 194-213.

postea poemati additos [1]. Denique non omittendum esse censemus quibus argumentis Niese [2] ac Helbig [3] homines, *Iliadis* aut *Odyssææ* tempore, neque eadem de sacris aut diis sensisse, neque iisdem moribus usos esse demonstraverint [4].

Sed quo stabilius, ut ita dicam, solum calcare conemur, cur non alia ratione ad eumdem terminum spectemus? Sæpe enim animadvertere fas est homines qui in poematis illis effinguntur, nunc alia ratione, nunc alia res publicas privatasque agitare. Nihil equidem commune fuisse credimus regibus illis e divina stirpe ortis qui in *Iliade*, nullo adversante, milites jussa exsequi cogerent [5] atque illis qui in *Odyssæa*, ut Alcinoüs Ulyssesque, cum primoribus civitatis (et ii sibimetipsis regis titulum vindicabant), componere cogerentur [6]. Multa imo dissimilia fuisse fatemur inter homines qui dotem quasi donum patrifamilias pro filia sua accipiendam esse credebant [7] atque eos qui hac dote conjugem ipsam donabant [8]. Nec alio modo censebimus si, qualis judiciorum ratio tunc fuerit, inspexerimus. Persuasum enim certe habebimus homerica opera non ab uno homine ac ne ætate quidem una, sed a nonnullis poetis ac per ducentos fere annos condita esse.

Nunc vero fere omnes consentiunt *Iliada* quidem a decimo usque ad noni sæculi dimidium ante J. C. natum, *Odyssæam* vero a noni dimidio usque ad octavi dimidium prolatas esse. Itaque poemata illa ante primam Olympiadem, quæ ad

1. Eadem ratione in *Odyssæa* Kirchoff (*Die homerische Odyssee und ihre Enstehung*, 1859; — *Die Composition der Odyssee*, 1869) et Croiset (*op. cit.*, pp. 335-345) antiquum quemdam « Ulyssis Reditum » a « Telemacheia » aut « Nekya » secernunt.

2. Niese, *Die Entwick. der homer. Poesie*, 1882.

3. Helbig, *Die homerische Epos* (in gallicam linguam translata est. Parisiis, 1896).

4. Niese, p. 47. In *Iliade* enim de Delphis agitur (I, 404), sed non de oraculo, ut in *Odyssæa* (VIII, 77); aut dii qui a poeta in *Iliade* finguntur mandata sua per Irin hominibus mittunt, in *Odyssæa* vero per Mercurium; et poeta qui *Iliadem* effinxit arbores solum usu pervulgatas cognovit, at in *Odyssæa* de lauro (IX, 183), aut cupressu (V, 64) aut cedro (V, 64) aut palma (VI, 163) agitur.

5. *Il.*, I, 185-187, 277-281; II, 198-205.

6. *Od.*, VIII, 390-391.

7. *Il.*, IX, 144-147; — XIII, 365-369.

8. *Il.*, XI, 241-245; — *Od.*, XXI, 160-161; XX, 334-345; XVI, 391-392.

annum DCCLXXVI ante Christum natum ab omnibus collocatur, confecta esse manifestum est. Cur in hanc opinionem ventum sit, nobis non exquirendum est, at solum argumentis, quæ maxime valeant, illustrandum. Arctinus quidem Milesius qui, Eusebio auctore, inter primam et quartam Olympiades vixit (id est octavo sæculo medio), ac cyclici poetæ non solum ex *Iliade* aut *Odyssæa* multa, quibus versus suos illustrarent, extrahere non dubitaverunt, sed etiam homericis fabulis alias fabulas, quibus eæ continuarentur, addendas susceperunt. Sic ad *Odysseæ* effigiem, poetæ nonnulli heroüm « Reditus » multos condiderunt. Inter quos Callinus, quibus fortunæ casibus Calchas vates Colophonem regressus esset narravit. Poetam autem illum ad annum DCC mortuum esse constat [1]. Quare *Ilias* atque *Odyssæa* intra decimi et octavi sæculi terminos [2] composita fuerunt.

Nobis autem illud propositum sequentibus non solum Homeri poemata, sed etiam fabulæ nonnullæ quæ a recentioribus poetis suppeditantur, aliquid auxilii afferunt. Nam quamquam hic quasi lubricum solum calcare videmur, ex iis tamen fabulis quæ a scriptoribus Themistoclis Periclisve æqualibus aut Alexandrinis nobis traditæ sunt, quæ antiquissima fuerint Græcorum instituta, aliquid attingere licet. Quod sane percipies, si vel minimum cogitare volueris fabulas illas, quamvis a posterioribus auctoribus nobis præbeantur, jam a longinquissimo tempore editas et a majoribus ad posteros traditas fuisse. Quodsi hoc nobis objicietur eas aliquantum per tot annos mutatas esse, non infitias ibimus, ita tamen ut animadvertamus antiquam consuetudinem, quasi extracta rubigine qua hæ tectæ fuerunt, plane sæpius apparere. Si quis denique nos interrogabit qua ratione in fabulis illis dijudicaturi simus utrum instituta antiqua an recentiora fuerint, ex homericis poematis arbitrium hauriemus. Quid-

1. Strabo, XIV, 668. Nobis ad illa indaganda auxilio fuerunt : Niese, *Die Entwickelung der homerischen Poesie*. Berolini, 1882. — Croiset, *Hist. de la littérature grecque*, t. I (pp. 420-426) ; — Christ, *Griech. Litteraturgesch.* (Handb. der Ivan Müller, t. II, pp. 36-37).

2. Croiset (*op. cit.*, t. I, p. 423). Si Erastosthenì credimus, Æoles a quibus primum *Ilias* ficta est, ad annum MLIII, Iones vero qui partim illam refecerunt ad annos MXXIII et MXIV ante J.-C. colonias in Asiam deduxerunt.

quid enim in illis fabulis cum homericis fabulis consentaneum est, perantiquum esse censemus ; quidquid vero illis repugnat, recentius. Atque hoc non omittendum est, antiquos scilicet tragicos, qui opus quasi sacrum condebant, plerumque integras priscorum ævorum fabulas nobis tradidisse. Hoc maxime, si Æschyli aut Sophoclis opera spectaveris, valet.

Itaque ex illis amplissimis quidem fontibus haurire licet, qui passim in homericis Hymnis, aut apud Hesiodum, Æschylum, Sophoclem, Euripidem et Pindarum abundant. Ad hæc testimonia nunc et addere licet quæ apud Bacchylidem, cujus opera nuper reperta sunt, invenimus [1]. Qui summa arte ex homericis cyclicisve fabulis præclara operum suorum argumenta sumpserunt ; quæ quum suo quisque ingenio tractarent, tamen in eorum operibus vetustatis quædam vestigia permansere quæ nobis exquirenda sunt. Atque ne mythicorum quidem scripta omnino contemnenda censemus ; ii enim ac præcipue Apollodorus, Diodorus Pausaniasque antiquissima quæque et quædam quoque a poetis omissa accurate comparaverunt nobisque tradiderunt.

Neque tantum, ut iter inceptum pergamus, fabulis illis antiquis, sed etiam quibusdam operibus propius ad veritatem scriptis uti licet. Verum enimvero non multa de priscis Græcorum consuetudinibus apud historicos invenias. Ab aliis autem testimonia nobis præbentur quæ maximi ponderis esse arbitramur. Primum scilicet Hesiodus in poemate quod « Opera et Dies » inscribitur, nobis quæ fuerint, ætate sua, judicia fideliter aperit. Hic enim non de fabulis sed de iis agitur quæ tunc reipsa evenerunt. Quanquam etiam plus nostra refert alia in testimonium vocare, sive eas leges quas a Dracone latas aiunt [2], sive eas quæ in Creta olim Gortyniæ viguerunt [3]. Quantum vero ad historicos pertinet, ab Aristotele [4], Herodoto, Thucydide aut Plutarcho [5] prima Athenien-

1. *The poems of Bacchylides*, Kenyon. London, 1897.

2. *C. I. A.*, t. I, p. 61 ; — Dareste, Haussoullier, Reinach. *Rec. des Inscript. jurid. grecques*, series IIa, pp. 1-24. Parisiis, 1898.

3. *Rec. Inscr. jurid.*, ser. Ia. fasc. IIIus.

4. In *Politica* aut in *Atheniensium Republica.*

5. *Vitæ Thesei et Solonis.*

sium instituta intelligere possumus. Nam quamvis haec prisca monumenta usque ad nos breviora atque mutilata pervenerint, tamen idonea sunt ad illas fabulas, de quibus jam actum est, illustrandas.

Ex recentioribus denique ipsis Græcorum institutis antiquiora cognoscere licet, quoniam apud eos nullo tempore, omnino res mutatæ sunt. Nam quum civitates gravissimis discordiis exagitatæ novas leges assumebant, non omnes, quæ antea vigebant, abrogabantur; sed memoria temporis præteriti diutius apud posteros permanente, hoc maxime venerandum ac fere imitandum habebatur, si quod institutum a patribus traditum erat. Quamvis judiciorum constitutioni multa sæpe addita sunt, multa quoque adempta, Græci nunquam omnino decessere ab illis antiquis consuetudinibus quæ in Homeri ætate floruerunt. Nonnullis enim testimoniis quæ maxime ab oratoribus, aut ab Aristotele in Politica nobis præstantur, illa pristini illius ævi discernere possis vestigia. Quæ si cum antiquis fabulis scriptisve consenserint, jam certiores fiemus quibus institutis prisci Græci judicia et lites tractarent. Quinetiam ea est horum testimoniorum varietas, ut quasi novum testimonium, neque id maxime spernendum, ceteris adjiciatur.

CAPUT I

DE BELLIS PRIVATIS

1. De familiarum adversus inimicos defensione. — 2. De Ultione privata. — 3. De bellis hereditariis. — 4. Quæ fuerit ultionis privatæ stirps.

Inter jura quæ a tam medii ævi quam nostrorum temporum jurisconsultis civitati tribuuntur, maximum non immerito videtur inter privatos concordiam firmare civibusque universis securitatem præstare, quæ illis libertatis pignus optimum sit. Per omnes itaque gentes quæ ad mores politissimos pervenerunt, judices publico imperio ornati, lites non modo inter cives componunt, sed etiam scelera, quibus perturbari civitates solent, reprimere conantur.

Attamen apud Græcos vetustissimos hominum societates fuisse constat qui de summi imperii auctoritate multo secus ac nosmetipsi sentirent neque civitatem aliam esse quam familiarum conventum, quæ externi periculi metu vel antiquissimæ religionis memoria sub unius lege congregatæ fuerant. Tunc familiæ cœtus erant perfecti qui, propriis viribus innixi, vitam ab omni extranea potestate disjunctam fere agebant. Neque opus est in memoriam revocare quibus argumentis Fustel de Coulanges pristinam illam familiarum libertatem illustraverit. Sin autem sola Homeri poemata spectamus, nobis manifestius adhuc fit, τὸ γένος parvam fuisse, ut ita dicam civitatem, cui præerat paterfamilias, quæ pro civibus habebat liberos mulieresque, pro sociis propinquos atque hospites, pro subditis etiam servos. Ii vero in loco manere consueverant terminis certis definito et opibus tam

copiosis prædito, ut hic toti familiæ cibaria vestesque inde suppeditarentur. Sacra imo privata gens quæque servabat paterque, quum summi pontificis ac judicis munus exsequetur, conjugem, liberos, propinquos, hospites atque servos propria auctoritate regebat.

Gentes illas tamen, quamvis sui juris neque alieni arbitrii essent, sese in civitates a priscis temporibus congregavisse regiæque auctoritati sponte subjecisse patet. Regum vero quænam potestas erat et intra quos fines descripta ? Duobus illis muneribus fungebantur quorum unum erat sacra publica facere, alterum civium copias cogere atque hostem repellere. Sed plurimum abest ut, præter illa, cives regibus parere assuescerent ; quidquid enim non civitatis sacrorumve publicorum prodesse videbatur, ex uniuscujusque arbitrio pendebat ; matrimonii scilicet aut hæredis jus tunc non regis erat. Nonne, quum juribus tam magni momenti reges orbati essent, lites summa auctoritate componendas curabant? Quod in nobis longinquorum ævorum moribus adeo insitum est, ut vix intelligere possemus reges exstitisse qui non simul et judices fuissent. Itaque multi inter scriptores qui de priscis Græcorum judiciis tractaverunt reges priores civitatis semper arbitros fuisse asserunt[1]. An cum iis in eamdem sententiam venire necesse fuerit, rem quum accurate perpenderimus, intelliges.

1. Fust. de Coul., *La Cité antique*, p. 206 : « De ce que la religion se mêlait au gouvernement, à la justice, à la guerre, il résulta nécessairement que le prêtre fut en même temps magistrat, juge et chef militaire » ; — Hermann (*Rechtsalterth.*, p. 61) ; — Schoemann (*Antiq. gr.*, *Galuski*), t. I, p. 34 : « La seconde fonction de la royauté consiste à rendre la justice » ; — Thonissen (*Droit publ.*, p. 17) : « Les rois délégués de Zeus rendent la justice au nom de Zeus » ; — Gilbert (*Beitræge cel.*, pp. 1-2) a principio totam civium societatem, postea vero reges in judicia summam auctoritatem exercuisse asserit : « In der jenigen Staaten an der Ostküste Griechenlands, in denen sich, wie die Denkmäler der mykenischen Periode zeigen, dem Volke gegenüber ein mächtiges Königthum entwickelt hatte, wird auch die Gerichtsbarkeit, soweit sie bestand, auf den König ubergangen sein, der diese Gerichtsbarkeit wohl unter den Beirath seiner Geronten ausübte. » — Nuper autem d'Arb. de Jub. (*Dr. celt.*, t. I, pp. 1-2) tempus quoddam fuisse arbitratur ubi in republica tantum de defensione adversus hostes ageretur. « L'État, la cité était un groupe de familles liguées contre l'étranger ; mais les familles qui composaient l'État réglaient à leur gré leurs relations entre elles, sans que l'État eût le droit d'intervenir pour déterminer le mode de ces relations. »

I. — De familiarum adversus inimicos defensione.

Primum vero in antiquissimis fabulis memoriæ proditum est sævitiis multis civitates illas fœdatas esse, quum in moribus earum vis et injuria insitæ essent, adeo ut poetæ felicitatem prædicarent illorum quos deus aliquis fraude et astutia exornavisset. Autolyconem Ulyssis avum Homerus collaudat

..... ὃς ἀνθρώπος ἐκέκαστο
κλεπτωσύνῃ θ' ὅρκῳ τε [1].....

Cui perjurium furtumque decori apud poetam habentur, siquidem Mercurius ipse Autolyconem colit ejusque latrociniis non semel opem præstat [2]. Penelopis quoque proci sese, si Mentor Ulyssi auxilium ferat, ejus rem domesticam funditus eversuros minantur. Quo enim interempto, domum invadere non dubitant, filios filiasque trucidare uxoremque ex Ithacensi terra pellere bonaque capessere [3]. Ipsi præterea juvenes Ulyssis familiæ vim afferre ausi sunt neque ullius imperii pavore cohibiti, quotidie :

βοῦς ἱερεύοντες καὶ ὄϊς καὶ πίονας αἶγας
εἰλαπινάζουσιν πίνουσί τε αἴθοπα οἶνον
μαψιδίως · τὰ δὲ πολλὰ κατάνεται..... [4]

Neque, si dominus absit, gens quæque otio ullo frui potest; omni vero præsidio orbata, omnibusque injuriis obnoxia aliis familiis velut præda præbetur. Sic Telemachus :

... Οὐ γὰρ ἔπ' ἀνὴρ
οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκεν, ἀρὴν ἀπὸ οἴκου ἀμῦναι [5],

ait. Ceterum quam inhumani ferocesque istis temporibus mores fuerint, scriptores etiam memoriam nobis tradiderunt.

1. *Od.*, XIX, 395-396.
2. *Od.*, XIX, 397-398.
3. *Od.*, XXII, 216-233.
4. *Od.*, II, 56-58.
5. *Od.*, II, 58-59.

Sicut enim a Thucydide fertur [1], mos erat priscorum Græcorum e prædationibus vitam quærere, quum apud eos latrocinium nullo modo dedecori haberetur. Qui jure commemorat apud antiquos poetas, si quis peregrinus domum externam peteret, eum primum interrogari num, ut latro, forsitan adveniret [2]. Itaque, quum domus nullis præsidiis munitæ essent, omnes cives, nisi armis induti, per vias procedebant [3]; primi autem Athenienses semper arma ferre desierunt vitamque magis ad pacem pronam agere inceperunt [4]. Quodsi reges jam in civitate magnam auctoritatem obtinere cœpissent, cur non ad placabiliores mores homines redegissent?

At si patresfamilias hostes in manifesto scelere deprehenderent, illis fas erat injuriam injuria necemque nece repellere. Quum nulli essent judices qui eorum jura tuerentur, ipsi de ipsis invicem judicia exercebant et a latronibus pœnas expetebant. Sic in extrema *Odyssæa* ab Homero mirabili sermone descriptæ sunt pœnæ illæ quas Ulysses a procis exigere statuit. Poeta vero, quum ad carminum magnitudinem spectare conaretur, personas grandiores natura effinxit; quas nobis ad humanam rationem deducere necesse est ut, tempore illo, quæ fuerint istiusmodi vindiciæ, perspiciamus.

Adversarii enim in duas partes distribuuntur : hic adsunt proci eorumque socii, servi scilicet qui res familiares prodiderunt. Isti enim Ulyssis domum diripuerunt, ancillas turpiter fœdaverunt Penelopisque conjugium, adhuc eo vivente, petierunt [5]; illic autem familiæ defensores, uno agmine congregati, quibus quasi caput præest paterfamilias ipse Ulysses qui procos in scelere manifesto deprehensos, nullo judice vocato, gravissimis pœnis affligere statuit [6]. Ad se liberos primum vocat quorum unus Telemachus personas sustinere videtur :

1. Thucyd.., I, v-vi.
2. Id., I, v.
3. Id., I, v : Πᾶσα γὰρ ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει διὰ τὰς ἀφράκτους τε οἰκήσεις καὶ οὐκ ἀσφαλεῖς παρ' ἀλλήλους ἐφόδους,
4. Id. : Ἐν τοῖς πρώτοις δὲ Ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο.
5. *Od.*, XXII, 36-41.
6. *Od.*, XXII, 41.

..... ὁ δ' ἀμφέθετο ξίφος ὀξὺ
Τηλέμαχος, φίλος υἱὸς Ὀδυσσῆος θείοιο [1].

At non solum liberos sed propinquos omnes ad pugnam pater ducebat; nam apud Pindarum legimus Jasonem, quum e finibus suis Peliam vi detrudere statuisset, propinquos suos ad se vocasse, Pheretenque et Amythaonta patruos cum Admete Melampoque eorum filiis ipsi opem tulisse [2]. Deinde ille, postquam per quinque dies noctesque epulari non desierunt, consilia iis aperit et tandem.

... Αἶψα δ' ἀπὸ κλισιᾶν
ὦρτο σὺν κείνοισι. Καὶ ῥ' ἦλθον Πελία μεγάρον [3].

Sed ad *Odyssæam* revertamur. Inde perspicere possumus non solum a propinquis, sed etiam ab humillimis eorum qui illi aggregati sunt, familiam salvam fieri. Servi enim ipsi arma capiunt; sic apud Homerum Philætius bubulcus Eumæusque subulcus [4] a Telemacho arma accipiunt Ulyssemque corpore suo protegunt [5]; ambo pericula sustinent dominique mandata exsequuntur [6]. Imo sæpe auxilia a peregrinis familiæ suppeditabantur, quum hospites vel socii qui ei opitularentur, adessent. Sic in *Odyssæa* Pallas Athene, Mentoris qui Ulysse familiariter utebatur habitu vultuque induto, ad heroem accurrit et sese beneficia quæ ab illo acceperit remuneraturam pollicetur [7], εὐεργεσίας ἀποτίνειν. Nec alio modo proci januam quam Ulysses cum familia custodit invadere conantur, ut urbem percurrant, auxilia undique petituri [8].

Sic paterfamilias ipse sua jura tueri solebat; sic omnes quicumque sibi modo quolibet conjuncti essent, congrega-

1. *Od.*, XXI, 431-432.
2. Pindarus, *Pythica*, IV, 124-135.
3. *Id.*, 133-134.
4. *Od.*, XXII, 103-104.
5. *Od.*, XXII, 113-115, 201-204.
6. *Od.*, XXII, 129-130.
7. *Od.*, XXII, 233-235.
8. *Od.*, XXII, 75-78.

bat, hostesque passim trucidabat [1]. Atque Ulysses ipsos qui familiam prodiderant hostibusque auxilium aliquid præbuerant insecutus est. Non solum ancillæ, quæ procorum insectationibus indulserant, morte mulctatæ sunt [2], sed etiam Liodes aruspex, qui sæpe coram procis oracula Ulyssi obnoxia cecinerat, eadem pœna afflictus est [3].

Etenim nulla erga hostes patri commiseratio erat, quum de familiæ totius salute ageretur. At ipse hostium exscidio, sine alieno auxilio, patriam parvulam servabat. Sæpe etiam furtim neque aperte, illos qui eum lædebant, deprehendebat, facinorumque ab iis astute pœnas exigebat.

II. — De ultione privata.

Quid postea? Privatorum in privatos ultio non solum jus, sed etiam officium esse videbatur quod nulli propinquorum abnuere fas erat si de propinquo aliquo ageretur. Inter eos enim quicumque sub ejusdem gentis imperio esse gloriabantur, omnia erant, ut ita dicam, communia; ii omnium luctuum gaudiorumque participes esse videbantur, adeo ut si quis ab hoste læderetur, tota domus ad propinquum defendendum vel ulciscendum exsurgeret.

Multos enim interfectores in exsilium actos fuisse, ex antiquis fabulis accipimus. Qui, vix quum cædem perpetrabant, terram externam petere festinabant, ne quid detrimenti ab interfecti cognatis caperent, facinusve suum morte luerent. Sic Homerus in Iliade pavorem depinxit quem peregrinus interfector concitat, postquam patria pulsus est, et ad hospitem externum confugere tentat [4]. Atque in *Odyssea* Ulysses, priusquam procos trucidet, Minervam interrogat num sibi quidquam asylum, cæde eorum confecta, futurum sit, quo possit confugere [5]. Et in duobus illis poematis multi sunt

1. *Od.*, XXII, 283-286, 305-309.
2. *Od.*, XXII, 465-473.
3. *Od.*, XXII, 322-324.
4. *Il.*, XXIV, 480-482.
5. *Od.*, XX, 42-43.

heroes, qui istiusmodi fuga mortem, postquam necem alicui intulerunt, vitare properant. Sic Medon, Ajacis frater, Phylacen incolere cœpit, postquam novercæ suæ fratrem interfecit [1]. Ajacis ipsius equos regit Lycophron, Mastoris filius, qui Cytheram liquerat, postquam hominem hic trucidaverat [2]. Et inter Achillis socios Epigeum invenimus qui, quum cognatum quemdam occidisset, ad Pelea confugit [3]. Aut in Odyssea quum Ulysses Ithacam reversus, Minervam mendacio callido decipere conatur, narrat se Cretensem esse civem qui, Idomenæi filio interempto, patriam deseruerit [4]. Non alio modo Eumæus pastor Ætolicum accipit qui idem scelus commiserat [5]. Et Theseus eodem damno apud Euripidem afficitur ; is enim regem ipsum, quum timeret ne Pallas sibi regnum eriperet, obtruncavit et procul ab Athenis habitare coactus est [6]. Sic Tydeus Argos et Adrasti ædes petiit, ut ultionem fugeret quæ pro cæde aliqua illi impendebat [7]. Qua re autem ii tanto patriæ fugiendæ studio urgerentur, nos admonet Theoclymenes ille vates qui a Telemacho hospitium flagitavit. Qui, quum aliquem tribulem occidisset, Argis exiit, quia isti homini multi erant fratres et socii qui Achæos ad ejus necem vindicandam concitare possent [8]. Et Ulysses ipse, omnibus procorum corporibus humi prostratis, fugæ rationem quærit, nam « si quis, inquit, cui non multi sunt « adjutores postea, unum virum in populo interfecit, fugit, « relictis affinibus et patria terra. Nos autem sustentaculum « civitatis, interfecimus, id est, valde optimos juvenum in « Ithaca [9] ».

Illud enim ab omnibus præceptum, temporibus illis antiquissimis, colebatur : Necem pro nece et injuriam pro injuria reddas, aut noxæ pœna par esto.

1. *Il.*, XIII, 695-697.
2. *Il.*, XV, 430-432.
3. *Il.*, XVI, 575-576.
4. *Od.*, XIII, 258.
5. *Od.*, XIV, 379-381.
6. Euripides, *Hippolytus*, 34-37.
7. Apollodorus, *Bibliotheca*, VIII, IV, 3-4.
8. *Od.*, XV, 271-276.
9. *Od.*, XXIII, 117-122.

Ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
πληγὴν τινέτω. Δράσαντι παθεῖν,
τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ [1].

Sic, Æschylo auctore, illam fuisse perantiquam sententiam intelligimus, neque discordias cum interfectoris propinquis ullo modo componi fas esse, neque pro nece dono aliquo, quantumcumque esset, viri trucidati manes placari. Sic in Choephoris Orestes Clytemnestram, quod Agamemnonis manes donis placare tentet, vituperat. Frustra, inquit, auro facinus tuum tollere tentes,

Τὰ πάντα γάρ τις ἐκχέας ἀνθ' αἵματος
ἑνός, μάτην ὁ μόχθος · ὧδ' ἔχει λόγος [2].

Atque apud Euripidem Hermiona Andromachen insectatur quod in thalamum Pyrrhi sese insinuasset, cujus pater Hectorem obtruncavisset. « Talis est, inquit, mos barbarorum qui facinora atrocissima edere non dubitant [3]. »

At maxime, si quis quoquo modo læsus fuisset, a filio ultionem jure petebat. Nestor enim Orestem laudibus effert quod Ægisthum, patris interfectorem occiderit, et felicem prædicat Agamemnonem qui, fraude percussus, filium dilectum reliquerit, qui se post mortem ulcisci posset [4]. Et Pállas Athene, quum Telemachum ad procos dirimendos hortatur, illum Orestem memorat qui, postquam ab Ægistho pœnas repetiit, inter homines gloriam æternam comparavit [5]. Nec Ægistho tamen defuerant Jovis ipsius admonitiones ; Mercurius enim, illo jubente, Œgisthum adortus erat, Orestis tunc infantis futuram ultionem, si facinus perpetraret, ei minatus [6]. Ultio enim tam æqua antiquis Græcis esse visa est, ut Neoptolemus non dubitaret ab Apolline petere, ut Achillem patrem ulcisci fas sibi esset. Amentia vero correptus, Paridis sagittam ab ipso Loxia adversus Achillem emis-

1. Æschylus, *Choephoræ*, 312-314.
2. *Id.*, 518-521.
3. Euripides, *Andromache*, 170-176.
4. *Od.*, III, 195-198.
5. *Od.*, I, 298-300.
6. *Od.*, I, 35-41.

sam esse oblitus erat [1]. Inde hoc quondam in proverbio erat : Νήπιος ὃς πατέρα κτείνων παῖδας καταλείπει [2].

Quinetiam mater jure a liberis cædebatur, si qua mariti sui cædem perpetravisset. Parricidium æquum fuisse, si ultionis causa susceptum esset, nobis constat. Ex duabus enim fabulis hoc, quanquam mirum est, perspicimus. Fama quidem apud Græcos erat Amphiaraum haruspicem Polyphilæ conjugis dolo periisse. Qui, quum, ex oraculi responso, moriturus esset, si cum Polynice bellum adversus Thebas inferret, duci illi adhortanti diu restitit pollicitusque sese quidquid conjux sibi suaderet acturum esse. At Polyphila torquis mirabilis dono corrupta, eum ad exercitum et mortem simul dimisit. Amphiaraus vero, priusquam domo exiret, liberos suos jurejurando adegit ut mortis suæ, si necesse esset, pœnas repeterent, iique, Amphiarao interempto, matrem trucidare non dubitaverunt Thebanorumque urbem funditus everterunt [3]. Clarissimum autem apud Græcos erat Orestis luctuosum facinus, quum matrem, ut necem Agamemnonis ulcisceretur, trucidare ausus est. Fabulam quidem illam Sophocles Euripidesque mitiore quasi modo tractaverunt, Æschylus vero non aliter quam apud veteres narrabatur, ferocitatis plenam nobis tradidit. Electram primum depinxit libationes patris manibus offerentem. Quam, quum nullam orationem invenire posset cum votis suis congruentem, chorus puellarum hortatur ut dei vel hominis cujusquam adventum optare audeat qui interfectores vicissim interficiat [4]. At Electra :

Καὶ ταῦτα μοὐστὶν εὐσεβῆ θεῶν πάρα [5];

« An mihi talia a diis expetere liceat », inquit. Et Chorus :

Πῶς δ' οὐ τὸν ἐχθρὸν ἀνταμείβεσθαι κακοῖς [6];

1. Eurip., *Andromache*, 50-55.
2. Stasinos (in Clement. Alex. Stomat., VI, 747).
3. *Od.*, XV, 244-247; — Euripides, *Electra*, 837-848; — Apollodorus, *Bibliotheca*, III, vi, 2 ; VII, 2-5.
4. Eschylus, *Choephoræ*, 117-121.
5. *Id.*, 122.
6. *Id.*, 123.

« Quomodo hosti pro malis mala non liceat rependere? » respondet. Talibus igitur Electra precibus indulget et patris ultorem, qui matris interfector fiat, voto a diis petit [1]. Imo mox num matris cædes justa sit dubitare desinit et clariores voces ad deos emittit : Jovi etiam crimini vertit quod Aten, quæ parentes ipsos percutit, serius, ὑστερόποινον, mittat [2]. At paulo post dii precibus ejus favent quum Orestes frater patris sui vindicandi causa advenit. Neque ille ulla cunctatione tenetur, nam, Apolline ipso jubente patriam petit, ut a matre pro Agamemnonis cæde pœnas exigat. Loxiæ enim ex oraculo audivit se matris interfectorem futurum esse, ac si inceptum renueret, universis calamitatibus obrutum iri. Nunc Furiarum impetum fore Apollo nuntiabat quæ paterni sanguinis ultionem exigerent; nunc vero illi morbum luctuosum minabatur quo carnes ejus siccatæ, pili vero albi fierent. Aut ei quoque demonstrabat oculum quemdam splendidum in caligine lucentem, nocturnosque eos terrores minabatur quos parentes, si qui perierunt inulti, liberis mittere solent,

καὶ μάταιος ἐκ νυκτῶν φόβος
ὁρῶντα λαμπρὸν ἐν σκότῳ νωμῶντ' ὀφρύν [3]

Tandem Apollo ei prædixit in quot quantisque malis versaturus esset, nisi deo pareret : illum scilicet terrore perculsum procul a sacris expulsum iri, vitam miserrimam acturum et ab irato patre quocumque ejectum iri, neque quemquam adfore qui illius misereri auderet [4]. Sic deus ipse Orestem hortatus est, ut parricidium perpetraret ; itaque ille quum humaniori ratione motus Pyladen interrogat num matrem suam interfecturus sit. « Quanti, respondit illi amicus, Loxiæ, oracula æstimas [5]? » Orestesque divinæ adhortationis memor Clytemnestrem gladio interemit. Quare cæde confecta Chorus quidem Justitiam, Jovis filiam [6], Orestes

1. Æschylus, *Choephoræ*, 142-146.
2. *Id.*, 380-384.
3. *Id.*, 288-289.
4. *Id.*, 269-300 ; 556-559.
5. *Id.*, 899-902.
6. *Id.*, 1026-1033.

autem Apollinem necis istius auctorem reipsa fuisse prædicat [1]. Non alio modo in « Eumenidibus » Orestes Apollini dimidiam tribuit partem facinoris [2], ipseque Loxias, quum deæ eum objurgarent quod Orestem ad matris cædem excitavisset. « Ut patris, inquit, cædes pensaretur, eum misi. Quid non [3]? » Dii sic non solum sceleris veniam dabant, sed etiam minas Oresti jactabant, ut parricida fieret, Amphiaraïque filii sic Apolline jubente, matrem suam cecidisse traduntur [4].

Neque illa pietate quam filii erga patres servabant aliis propinquis carere fas erat. Namque nepotibus etiam avorum injurias vindicare mos erat. Euripides enim Electram effinxit, post Agamemnonem exstinctum agricolæ cuidam nupsisse. Qui commemorat Ægisthum ab Electra, ubi nubilis fuit, omnes procos amovisse ne Argivo cuiquam filios daret qui Agamemnonis necem ulciscerentur [5]. Et in *Hercule furenti*, Lycos qui Thebanum regnum vi usurpavit, Herculis liberos trucidare cupit, ne ii Creonem avum, quem ipse summa potestate vitaque orbavit, ulciscerentur [6]. Nec minus fratres de fratribus rite ultiones petebant. In præliis quæ in *Iliade* narrantur, Acamas Bœotium Promachon trucidat quod fratri suo vim attulisset et se sic egisse jactitat, ut fratris pretium, κασιγνήτοιο γε ποινήν, capesseret. Omnes, inquit, libenter domi cognatum quemquam relinquunt qui ipsorum ultores fieri possint [7]. Neque alio modo Euphorbes Menelao minatur se fratris sanguinem pensaturum esse [8]. Atque Althea, Meleagri mater, filio suo ipsi mortem parare non dubitat, ut fratrum suorum mortem ulciscatur, quos Meleager ira perculsus letho afflixit [9]. Sic Pheres Admeti, Alcesten, quam ignave, ut ipse morte redimeretur, vitam relinquere sinit, a

1. Æschylus, *Choephoræ*, 1026-1033.
2. *Eumenides*, 465.
3. *Id.*, 202-203.
4. Apollodorus, III, vi, 2-vii, 2-5.
5. Euripides, *Electra*, 19-24.
6. *Hercules furens*, 35-43.
7. *Il.*, XIV, 482-485.
8. *Il.*, XVII, 34-40.
9. Apollodorus, VIII, 11, 6; — *Bacchylides* (éd. Kenyon), V, 127-144.

fratre ulciscendam esse nuntiat [1]. Neque aliud parentes sentiunt si qua vi liberos amiserunt. Postquam enim Ulysses procos interfecit, eorum parentes forum invadunt, sibique magnum flagitium dedecusque apud posteros fore clamitant, nisi filiorum fratrumque cædem ulcisci conentur [2], Eupithesque, Antinoi pater, turbam ducit quæ adversus Ulyssem procedit [3]. Et Hecuba ipsa, quamquam gravissimis malis afflicta, Polymnestorem, Thraciæ regem, filii sui interfectorem ad se mandat, ut Polydori necem in illum ulciscatur. Regis, ubi auri cupidine allectus in tabernaculum Trojanarum ingressus est, mox oculi avelluntur infantesque trucidantur [4], neque illius Agamemno rex se misereri fatetur, quod Polymnestor hospitem suæ fidei commissum prodere ausus sit [5].

Neque propinqui aliter agere solent. Nam Jaso, postquam Medea venenum Creonis filiæ præbuit, timet ne regii propinqui a liberis suis ultionem exigere studeant [6]. Insignior etiam memoriæ prodita est Amphitryonis adversus Thaphios ultio. Qui quum ab Electryone, avo ejus, Mycenarum imperium sibi repeterent, inceptum suum exsequi nequiverunt. Irati vero, Electryonis bobus raptis, filios ejus interfecere. At Electryo Amphitryoni in matrimonium Alcmenem filiam dedit, ea conditione ut ille jurejurando polliceretur se non prius ab uxore mariti jura petiturum, quam Electryonis filios, magna Taphiorum clade, ulcisceretur. Itaque non quæ promiserat perficere dedignatus est [7]. Nec tandem amicis ipsis ultionis munus istud effugere fas erat, at cuique amico amici sui cædes redimenda erat. Nam in *Iliade* Achilles Thetyn admonet sibi nullum cum ceteris hominibus commercium fore, nisi ab Hectore Patroclis interempti prius pœnas repetierit [8]. Aut in *Odyssæa* Ulyssi, postquam ille Antinoüm

1. Euripides, *Alceste*, 730-733.
2. *Od.*, XXIV, 430-437.
3. *Id.*, 465-470.
4. Euripides, *Hecuba*, 786-845.
5. *Id.*, 1250-1251.
6. Euripides, *Medea*, 1301-1305.
7. Hesiodus, *Scutum Herculis*, 14-22; — Euripides, *Hercules furens*, 1078-1080; — Apollodorus, II, iv, 6.
8. *Il.*, XVIII, 90-93.

sagitta percussit, proci mortem gravissimam pro amici sui cæde, minantur [1]. Atque Hercules, quum in Amazonas procederet, Parum insulam attigit et a Minois filiis reformidandam pœnam expetiit, quod duos suorum morte mulctavissent. Iratus enim Alcides, alios trucidavit, alios vero gravi obsidione pressit, donec duo Minoïs filii sibi traderentur [2]. Sic apud Sophoclem Œdipus Laïum ulcisci conatur, quum conjugem regnumque ejus acceperit, Thebanosque objurgat quod regis sui interfectores non quæsiverint [3]. Omnes igitur propinqui vel amici eodem officio tenebantur, nam sodales suos ulcisci, si qui vi interfecti erant, maximi momenti esse sentiebant.

III. — De bellis hereditariis.

Quinetiam postquam illæ antiquæ gentes ultionis cupidine flagrabant, nullus mutuis discordiis terminus erat; filii vero a patribus ultionis officium quasi hereditatem accipiebant, civesque sævissimis bellis illis commovebantur quæ usque ad recentiores ætates in nonnullis regionibus etiam duravere. Nam Athenis, Plutarcho auctore, Pallenensium tribus diu memoriam servavit proditionis quam Agnusius præco in Pallantidas, Thesei inimicos, fecerat, neque illi cum Agnusiis, qui ab Agnusio oriundos esse credebantur, connubia unquam fuere [4]. Nec necesse est in memoriam revocare atrocissimas illas pugnas quæ nuper apud Corsicanos « vendette » appellabantur; hæ nobis quasi documentum superesse videntur sævissimæ et antiquissimæ illius ætatis qua nulla stabat summa lex quæ discordias inter cives componeret [5].

1. *Od.*, XXII, 27-32.
2. Apollod., II, v, 9.
3. *Œdipus Rex*, 255-266.
4. Plut., *Theseus*, 13.
5. Ex multis exemplis apparet quondam Corsicanis idem ultionis officium fuisse quam homericis Græcis. Exempli causa vide Feydet (*Mœurs et coutumes des Corses*, an VII, p. 64) : « Deux hommes ont une dispute sur une place publique. L'un reproche à l'autre de n'avoir pas encore vengé la mort de son frère. Des municipaux, témoins de la querelle, conduisent en prison, non pas celui qui faisait le reproche, mais celui qui l'essuyait. Un jeune Corse, soldat dans un régiment français étant à la parade, aperçoit parmi les spectateurs

Sic apud veteres Græcos gentes nonnullæ, quasi deo aliquo favente, ad perpetuas discordias destinabantur

> Νῦν δ' ὤρθωσας στόματος γνώμην
> τὸν τριπάχυιον
> δαίμονα γέννας τῆσδε κικλήσκων [1]

Tunc enim sententia illa semper viguisse videtur, nullum, sanguine effuso, piaculum exstare quo macula deleatur [2]. Sic posteros usque ad tertiam ætatem avorum discordiæ sequebantur; odium enim hereditate filii a patribus, quod invicem nepotibus traderent, percipiebant, fabulisque non paucis mos iste illustratur.

Inter hæc bella quæ, ultionis causa, inter privatos accendebantur, Hellanicus poeta narrabat eam quæ inter Dioscurides atque Theseum exorta est. Theseus enim Pirithoüsque, quum filias Jovis nubere cuperent, Helenam rapuerunt vix septem annos natam ac, dum ad inferos viam persequerentur, illam Æthræ, Thesei matri, custodiendam tradiderunt. Sed mox Castor et Pollux, Helenæ fratres, Atticam invaserunt, ac, postquam terram vastaverunt, Æthram ipsam quasi vindicationis pignus ceperunt [1].

Atque istius capitalis odii exemplum, nobis illa de Tydæo fabula traditur. Quem, postquam Ætolicos hospites trucidaverat, Agrios patruus insectatus est. Tydæus autem Argos petiit, deinde quum Thebas obsideret, mortuus est. At Agriois filii patris sui injuriam explere decreverunt Œneumque Tydæi parentem lacessiverunt et, Calydone expugnata, patruum in vincula conjecerunt. Neque illis diuturna victoria fuit : nam Diomedes, Tydæi filius, quum adolere cœpisset, Calydonem subito invasit, Agriois filios obtruncavit Œneumque avum a vinculis exsolvit. Frustra vero Tydæi filius exscidium illud perpetravit; postea enim aliquot ex Agriois filiis qui mortem evaserant, Œneum in Arcadia

un homme qui, autrefois, par hasard ou à dessein, avait tué quelqu'un de sa famille. Il sort de son rang, jette son fusil, tire de sa poche un poignard, l'étend mort et prend la fuite. »

1. Æschylus, *Agamemno*, 1475-1477.
2. Æschylus, *Choephoræ*, 37-48; *id.*, 66-74.
3. Hellanicus (*Schol. Il.*, 144); — *Fr. Hist. Gr.*, I, p. 55 (74).

manentem occiderunt, gloriantes sese tam patris quam fratrum memoriam vindicavisse [1]. Sic Œneus, filii nepotisque causa pœnas dedit, nam quum ulciscendi ratio esset, nunc posteri, nunc, si fas esset, patres ab ultoribus lacessebantur.

Quod nobis manifestius adhuc fiet, si fabularum celeberrimam illam quæ de Atridibus narratur, attigerimus. Nam ex illa sævissima gente intelligere possumus quam atrocibus sceleribus, parricidiis cædibusque nonnullæ domus inquinatæ essent, quum apud illas cædem cædes alia semper sequeretur. Poetis enim auctoribus, dissidii, quod inter duos Pelopis filios exortum est, causa fuit aurata illa ovis quam Pan, Mercurii jussu, clam in Atrei gregem immisit [2]. Inde inter ambos fratres lis magna fuit quam nulli hominum aut deorum componere licuit. Thyestes autem individia permotus, quum Atrei uxori vim offerre fratrisque thalamum vitiare ausus esset [3], exitiosum arietem arreptum domum furtim transvexit. Deinde civibus ad cœtum vocatis, palam dixit (forsan jurejurando) arietem aureum illum de grege suo esse [4]. Sed ex illo latrocinio non maximam utilitatem Thyestes accepit; Atreus enim fratrem e patriis finibus exterminavit [5], et ille omni ope orbatus, postquam terras peregrinas peragravit, ad penates patrios supplex rediit et a fratre vitam veniamque petiit [6]. At Atreus, quum ultionis cupidine acriter impelleretur, placatam animam simulavit, Thyestemque in convivium concordiæ causa arcessivit, sed misero patri liberorum quasi ferinam carnem excoctos artus comedendos præbuit [7]. Thyestes autem mox epulas illas exitiales agnovit [8].

> Ὤμωξεν, ἀμπίπτει δ' ἀπὸ σφαγῆς ἐμῶν,
> μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται,

1. Apollodorus, I, VIII, 5-6.
2. Euripides, *Orestes*, 997-1002; — *Iphigenia Taurica*, 196, 811-815.
3. Æschylus, *Agamemno*, 1193; — Euripides, *Electra*, 720-722.
4. Euripides, *Electra*, 722-725.
5. Æschylus, *Agamemno*, 1586.
6. *Id.*, 1587-1588.
7. *Id.*, 1591-1593.
8. *Id.*, 1217-1226 et 1497-1504.

λάκτισμα δείπνου ξυνδίκως τιθεὶς ἀρᾷ,
οὕτως ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος [1].

Illa fuit luctuosa hereditas quam Thyestes Ægistho filio tradidit; nam quum uterque frater vita defunctus esset, multum abfuit ut lis inter illos componeretur. Injuriæ enim memoriam Ægisthus servavit et ab Agamemnone Atræi filio pœnas atroces repetiit. Itaque patris sui stupra renovavit, Clytemnestris amorem expetiit, Agamemnonemque ipsum Troja reducem in plagas insidiosas conjecit. Nec ad aliam utilitatem se spectavisse quam ad fratrum suorum patrisque ultionem ipse declarat. Agamemnonem enim jactat

χερὸς πατρῴας ἐκτίνοντα μηχανάς [2].

Et Clytemnestra in Choro Thyestem ipsum ex Agamemnone veteris injuriæ pretium asseruisse.

Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος
τόνδ' ἀπέτισεν
τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας [3].

Sic liberis, si patrem ulcisci decreverant, nefandissima scelera committere licebat; nec defuit Agamemnoni ultor Orestes qui simul Thyestem et Clytemnestram obtruncaret Atridumque nequitiis terminum imponeret.

Satis igitur constat fabulas illas ætatis antiquissimæ vestigia esse. Tunc non dubium est quin istiusmodi bellis privatis multæ familiæ perturbarentur, plurimique essent Ægisthi aut Orestæ qui patrum suorum causam complexi insontes pro noxiis insectarentur. Itaque tanta ulciscendi cupidine illi flagrabant, ut nobis non solum indole, sed etiam præstantissima aliqua causa impulsi fuisse videantur. Quodnam igitur fuit ejus consuetudinis principium? Non aliud certe nisi communes istius ætatis mores. Religiosis enim vinculis tota familia adstricta erat : ad religionem igitur illos qui cædem pro cæde reddebant, spectavisse patet.

1. Æschylus, *Agamemno*, 1599-1602.
2. *Id.*, 1582.
3. *Id.*, 1502-1504.

IV. — QUÆ FUERIT ULTIONIS PRIVATÆ ORIGO ?

Memoriæ enim proditum est pristinos Græcos humanas hostias in sacris cædere solitos fuisse, et apud eos virum, postquam e vita decessisset, divinum, ut ita dicam, fieri. Nonne autem propinquorum mos erat illum iisdem muneribus atque cælestia numina venerari ? Non solum enim lac, aut mel, aut vinum, sed etiam hostiarum sanguis super ejus tumulum effundebatur. Itaque quid mirum, si inter sacrificia, quæ hominem cæde afflictum placare possent, gratissima homicidæ ipsius jugulatio esset. Nec aliud proximi sentiebant quum unum ex iis, per vim de vita delapsum, interfectoris ipsius nece flectendum suscipiebant. Ut ait Euripides,

... αἷμα δ' αἵματος
πικρὸς δανεισμὸς ἦλθε τῷ θανόντι νῦν [1].

Sic Achilleus apud Homerum, ut Patroclis manes placaret Trojanorum quasi hecatombas trucidavit. Alios quidem busto letali imposuit; alios in prælio ictibus confodit; omnes autem quasi hostias amico suo præbuit [2]. Similiter idem Achilleus apud Euripidem, postquam mortuus est, Polyxenam virginem a Græcis petiit, minatus commilitonibus maxima exitia, si jussa sua efficere dubitarent [3]. Jure autem Hecuba sese, in Polyxenæ locum quasi hostiam præbet ut super tumulum necaretur. « Ego, inquit, Paridem peperi qui Thetidos filium telis suis conflixit [4]. » At satis constat Græcos, quæcumque piacularis victima futura esset, aut ab interfectoris matre, aut sorore pœnas sæpius exegisse. Achilleus enim Polyxenam elegit ut Priamidæ stirpis ultima spes obrueretur. Atque Orestes ipse, quum matri Ægisthoque insidias moliretur, sacerdos potius quam interfector videbatur. Deo enim jubente, Argos petiit, ut patri suo litaret. Et

1. Euripides, *Electra*, 857-858.
2. *Il.*, XXI, 17-135.
3. Euripides, *Hecuba*, 37-43, 109-111, 116-117.
4. *Id.*, 387-388.

quantuscumque ejus menti inest parricidii horror, vehementius tamen Agamemnonis inulti memoria urgetur, neque illum sua mater continet, etsi illi μητρὸς ἐγκότους κύνας minatur.

> Τὰς τοῦ πατρὸς δὲ πῶς φύγω, παρεὶς τάδε [1],

respondet, Solemque testem advocare non dubitat sese jure parricidam factum esse.

> ... παρῇ μοι μάρτυς ἐν δίκῃ ποτέ,
> ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον [2].

Et in Euripidis fabula quæ « Phaenissæ » adscribitur, de draconis nece agitur quem quondam Cadmus, invitis Terra Marteque occidit. Tiresias quidem Creonem admonet exitum illum etiam tunc inultum esse et jam necesse fieri ut Cadmi nepotes Terræ Martique cædis hujus antiquæ rationem reddant, ne a diis iratis Thebæ, Septem Ducibus traditæ, funditus evertantur [3]. Sic Menæceus, sponte sua, quum patriam salvam esse cupit, mortem qua Terra et Mars leniantur accipit. Quinimo Minotauri fabula ad morem illum illustrandum magis etiam valet. Minos enim, quum filius ejus Athenis vita orbatus esset, ira accensus, urbem oppugnatam peste ac fame superavit. Legati vero, quum oppidum in eo esset, ut in deditionem veniret, a Minoe veniam petiere et sciscitati sunt qua conditione pacem Atheniensibus reddere vellet. Qui septem juvenes septemque virgines quotannis Minotauro tradi jussit [4]; sicque sanguinis istud tributum exegit quo filius insignem pensationem pro vita acciperet.

Tandem consuetudine aliqua perspici potest quanta sævitia interfectores mortuis, sicut hostiæ vivæ traderentur, quum illi, necem etiamsi inviti aut forte perpetravissent, propria morte luerent. Sæpe enim in antiquis fabulis de invitis homicidis agitur, qui fuga exitiosum piaculum vitare

1. Æschylus, *Choephoræ*, 925.
2. *Id.*, 988-989.
3. Euripides, *Phœnissæ*, 913-941.
4. Apollodorus, III, xv, 8.

tentant. Sic Tlepolemus, Herculis filius, postquam baculo Licymnium avunculum forte occiderat, Tirynthe exiit, veritus ne sibi Herculis alii liberi aut nepotes vim inferrent [1]. Illorum igitur sententia Licymnii manibus Tlepolemum quasi hostiam præbere necesse erat. Eodem casu Amphitryo atque Perseus socerum interfecerunt, nec magis illis licuit domi manere. Perseus enim Argis Tiryntha migravit [2]. Amphitryo vero Thebas cum conjuge petiit et a Creone piaculum postulavit [3]. Et Hercules ipse, quum Eurynomum, Œnei hospitis sui cognatum, pugno percussum invitus occidisset, paterque interfecti juvenis nullam ab illo pœnam exigeret, antiquo tamen ritu, « κατὰ τὸν νόμον » Calydon fugere decrevit [4]. Quid multa? a pueris ipsis legem illam observatam fuisse manifestum est. Patrocles enim admodum adolescentulus domo decedere coactus est. Qui, quum inter eum et sodalem quemquam ossiculorum causa nescio quod jurgium exortum esset, fortuito ictu puerum illum interfecerat, Mœnetiusque pater eum Peleo tradidit, ut parentum iratorum ultionem fugeret [5].

Quinetiam si, temporibus recentioribus qua ratione res se habuerit, inspicimus, non pauca hujus veteris consuetudinis vestigia invenimus. Jam Athenis consessus Ephetarum constitutus erat qui cædes non sponte perfectas judicarent ac plerumque concordiam inter interfectorem mortuique parentes restitueret. Lacædemonii autem, si Xenophonti credimus, haud aliter, ac si Homeri tempore vixissent, sentiebant. Nam ille nobis narrat Dracontium quemdam, Spartanum, quum puer sodalem quemquam pugione percussisset, patria pulsum fuisse [6]; qui eamdem pœnam quam apud Homerum Patrocles, dare coactus est. Et ipse Plato in *Legibus*, et si inter reum ac mortui parentes pactum fieri jubeat, ei tamen piacula eadem luenda esse ac si sponte aliquem occiderit, sin autem legi parere abnuat, eum quasi interfectorem damnan-

1. *Il.*, II, 664-667 : — Pindarus, *Olymp.*, VII, 27-33.
2. Apollodorus, II, IV, 4.
3. Id., II, IV, 6 ; — Hesiodus, *Scutum Herculis*, 11-13, 82.
4. Id., II, VII, 6.
5. *Il.*, XXIII, 85-88.
6. Xenoph., *Anabasis*, IV, 8, 25.

dum esse censet[1]. Athenienses vero jam ad mitiores mores pervenerant. Attamen non dubium est quin aliquando familiæ eorum qui casu interfecti essent, interfectoris mortem aut exsilium repeterent. Antiphon enim in Secunda Tetralogia orationem patris alicujus tradit, qui pro filio, quem sodalis jaculo interemit, ante ephetas ultionem sibi vindicat[2]. Qui asserit nullum argumentum exstare, quod reo tanti facinoris excusationem aliquam afferat, quum et mortui familiæ damnum grave fecerit, « τῷ δὲ ἀποθανόντι αὐτῷ μὲν οὐδὲν ἐνθύμιον, τοῖς δὲ ζῶσι προσέθηκεν », neque illi, si familia hoc abnuerit, pœnam fugiendi jus esse.

Itaque illa ulciscendi ratio, quænam fuerit, nobis nunc patet. Ultor quidem non in interfectorem judicium exercendum, sed potius cognato suo hostiam, quæ illi jucundissimum leti lenimentum esse videretur, parandam curabat. Hoc enim, Platone auctore, manifestum nobis fit. Qui in *Legibus*, antiquam hanc fabulam a sacerdotibus narratam tradit : semper illum qui vi ab aliquo interfectus est, in interfectorem iram exercere, adeo ut non æquo animo eum patiatur in loco habitare ubi casus evenerit, sed ei magnos terrores injiciat, donec ille patriam linquere coactus fuerit[3]. At, si Platonis tempore exsilium quasi piaculum sufficere videbatur, non in alìcujus mentem dubium, temporibus homericis, veniebat quin solum a sanguine interfectoris, ἀκουσίου vel ἑκουσίου, mortuus malorum suorum quasi lenimentum acciperet.

Quare religio erga cognatos ultionis principium fuit; nullius auctoritate obstante, privati inter sese prælia piacularia agebant, cædemque pro cæde inimicis reddebant. Nonne finem quemquam istiusmodi bellis imponendum gentes susceperunt? Quod quidem exquirere nunc operæ pretium est.

1. Plato, *Leges*, IX, 866.
2. Antiphon., IIa Tetralogia (III, 121-123.)
3. Plato, *Leges*, IX, 865.

CAPUT II

DE PENSATIONUM CONSUETUDINE

1. Qua ratione pax inter privatos fieret. — 2. Quæ esset « ποινή ». — 3. De interfectorum traditione. — 4. Quomodo facinorum memoria pecuniam tradendo omitteretur. — 5. An ulciscendi munus cum pœnis adhibendis non congrueret.

Quum pristinis illis temporibus bellum inter duas gentes exortum erat, nulli externæ potestati, ut antea diximus, illud componere licebat. Sed discordiæ illæ, malevolentia quasi materiam semper ultoribus præbente, nunquam exstinguebantur, nisi sponte sua familiæ, mutuis jurgiis minutæ, litem, quod dissidii esset principium, sedare decrevissent. Itaque quum viribus fere æquis bella privata sustinerent, nullo modo, nisi vi, ea confici poterant. Mox autem plurimis cladibus fractæ, eo inopiæ sæpissime veniebant, ut bella adversus vicinos incepta persequi nequirent. Tunc, ne omnino utraque pessum iret, necesse erat ut de tota lite pactio fieret.

I. — Qua ratione pax inter privatos fieret.

Quæ fuerit illa compositio ex antiquis fabulis nobis intelligere licet. Primum privati, ut propria auctoritate bella inter sese gerebant, sic pacem, si quando illis in mentem venerat de discordiis suis decedere, sponte sua conciliabant, neque ullum erat imperium quod earum pacta ex arbitrio suo judi-

care auderet. Qui conventus quasi fœdera illa nobis apparent quæ inter reges aut civitates, nullo cogente, componi solent. Sæpe etiam gentes nostræ, nisi de cæde agebatur, priusquam ad manus venirent, litem libenter dirimere studebant. Sic in *Iliade* homines ambo qui agrum communem possident, de mensura decertant, dum utriusque portio constituta sit [1]. At quum privati mutuis bellis finem faciendum esse censebant, legati inter pugnantes de pace conditiones afferebant. Fide igitur data, ambæ familiæ bellum desinere statuebant eodemque ritu, quo civitates, quum fœdera componerent, utebantur.

Interdum etiam, ut fit apud nostrorum temporum reges, nubendo discordiæ veteres placabantur. Amphiaraüs, exempli causa. auctore Pindaro Eriphylen, inimici sui Adrasti sororem, uxorem duxit. Quæ esset quasi concordiæ pignus, ὅρκιον ὡς ὅτε πιστόν [2].

At si nos non piget quærere qua ratione familiæ talia inter se paciscerentur, eamdem consuetudinem apud omnes illorum temporum Græcos vigere invenimus : opes scilicet quasdam iis qui ab inimico aliquid damni passi essent ab hujus gente tribui. « Ποινήν » enim, id est « pœnam » aut « pensationem » de re familiari ministratam, quicumque aliquid detrimenti ceperant, accipiebant. In quam autem sententiam hoc vocabulum intelligi possit, in Homeri poematis reperias.

II. — Quæ esset ποινή.

Sæpe enim in *Iliade* aut *Odyssæa* de « pœnis » agitur quas semper ut pensationes valere constat [3]. Quæ pœnæ non solum pro damno aliquo, quod res domestica accepisset, sed etiam pro nece exigi solebant. Quod quidem in *Iliade* Ajax ipse declarat.

> ... Καὶ μέν τίς γε κασιγνήτοιο φονῆος
> ποινήν, ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνηῶτος [4].

1. *Il.*, XII, 421-423.
2. Pindarus, *Ném.*, IX, 13-17.
3. *Il.*, III, 288-891; XVI, 206-208, 398; — *Od.*, XXIII, 312-313.
4. *Il.*, IX, 632-636.

Pœnas quibus cædes propinquorum aut etiam filiorum pensentur parentes accipiunt. Pactione enim facta, neque posthac vim interfectori adhibere licet; neque illi patriam fugere necesse est; nam qui damnum accepit, de ira sua, pensatione ad benevolentiam allectus, decedit.

> καὶ ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, πολλ' ἀποτίσας,
> τοῦ δέ τ' ἐρητύεται κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
> ποινὴν δεξαμένου..... [1].

Si quis ulciscendæ injuriæ impar erat, habebat tunc quo placaretur.

Proximi vero illi qui usque ad mortem consanguinei sui ulciscendi propositum tenebant, sibi suo officio functi videbantur, si ab interfectore pœnas vindicavissent. Infelicem enim esse Homerus existimat parentem qui pro filio interempto nullam pensationem obtinuerit. Sic Harpalion quum in pugnam proficisceretur trucidatus est,

> ... μετὰ δέ σφι πατὴρ κίε, δάκρυα λείβων·
> ποινὴ δ' οὔτις παιδὸς ἐγίγνετο τεθνηῶτος [2].

« Ad eum cucurrit pater fletusque magnos emisit, nam pro filio interempto nulla pensatio illi fuit. » Et in Odyssea Telemachus, quum procis mortem ignavam minaretur, deos exoravit ut isti sine pensatione abolerentur.

> νήποινοί κεν ἔπειτα δόμων ἔντοσθεν ὄλοισθε [3]

Sic mos erat veteribus illis Græcis, pœnas solvendo bellis inter privatos exortis finem facere; quales vero pœnæ illæ fuerint, ex iisdem fabulis invenire possumus.

Sæpe forsan, ut ex antiquis fabulis conjici potest, quum inter duas familias de pace concordiaque renovanda agebatur, victimæ vivæ atque etiam humanæ illis qui læsi fuerant ab adversis partibus tradi solebant. Nec dubium est quin interdum, si quis cædem perpetraret, ejusque cognati ab altera

1. *Il.*, IX, 634-636.
2. *Il.*, XIII, 658-659.
3. *Od.*, I, 380.

gente quæ injuriam passa esset, superarentur, sontem victoribus tradi mos fuerit. Quem, ut ostendimus, quasi piaculum quo suus propinquus placaretur, trucidabant. Postea autem Græci pecuniam aut aliquod aliud officium potius quam sanguinem ab inimico, damni pensandi causa, exigere assueverunt. Testantur antiquæ fabulæ multas hujusmodi pactiones inter inimicos compositas fuisse. Quum Achilleus ab Agamemnone læsus captivaque sua orbatus, iræ indulgeret, Pallas animam ejus placare nititur. « Pro levamento, inquit, istius injuriæ ter quaterque tantum divitiæ tibi præbebuntur [1]. » Itaque postea Agamemno, ut Achillis gratiam sibi conciliaret, illi maxima pensationes offerre non dubitavit,

ἄψ' ἐθέλω ἀρέσαι, δόμεναί τ' ἀπερείσι' ἄποινα [2],

septem scilicet tripodas, et auri decem talenta, et patinas viginti, et duodecim equos qui cursu cæteros semper superaverant, et Lesbiacas septem mulieres, Briseim denique ac, si Troja caperetur, viginti ex pulcherrimis mulieribus [3]. Sic Jupiter Troï regi, Ganymedem, filium ejus quum in cælum rapuisset, eum equis insignibus, tanquam « ποινῇ » donavit, υἷος ποινὴν Γανυμήδεος [4]. Præterea, Telemacho teste, mos erat, si quis uxorem repudiatam ad parentes dimittebat, illis mercedem tribuere qua repudium pensaretur. Telemachus enim, quum matrem tuendam secundum jus familiare suscepisset, illam ad parentes ejus remittere noluit, ne repudii pœnam solvere cogeretur,

... κακὸν δέ με πόλλ' ἀποτίνειν
Ἰκαρίῳ, αἴ κ' αὐτὸς ἑκὼν ἀπὸ μητέρα πέμψω [5].

1. *Il.*, I, 213-214.
2. *Il.*, IX, 120.
3. *Il.*, IX, 119-130.
4. *Il.*, V, 265-266. Sed in *Iliade* parva, vitem auream Jupiter Laomedonti præbuit :

Ἄμπελον ἣν Κρονίδης ἔπορεν οὗ παιδὸς ἄποινα
χρυσείην, φύλλοισιν ἀγανοῖσιν κομόωσαν,
βότρυσί θ', οὓς Ἥφαιστος ἐπασκήσας πατρὶ δῶκεν
αὐτὰρ ὁ Λαομέδοντι πόρεν Γανυμήδεος ἄντι.
(*Cycli* fragm. Didot, XII, p. 595, 3.)

5. *Od.*, II, 132-133.

Quid quod si, ab hostibus bona cujusquam dirempta fuerant, paterfamilias maximas pensationes, ubi de pace agebatur, a latronibus exigeret? Quum Ithacenses juvenes, Ulysse ac Telemacho urgentibus, mortem turpem effugere conantur, Eurymachus regis iram lenire et pactionem cum eo inire tentat. Promittit enim procos, si Ulysses clementiæ indulgeat, ei magnas divitias daturos esse; adeo ut singuli tantum ei reddant quanti boves viginti valeant. Sic « pœnam » Ulysses accipiet pro damnis quæcumque proci ejus rei immensis epulis ac potationibus imposuerunt [1].

Verum inter discrimina quæ compositionibus sæpe solvebantur, adulterium fuisse Homero auctore constat. Paterfamilias sontem, quum illum in manifesto scelere deprehendebat, aperte occidere æquum censebat. Orestes enim, postquam Ægisthum trucidavit, de illius morte se purgaturum esse negat, quum iste mœchorum, inquit, pœnam jure dederit [2]. Et Pausanias Hyetti nobis memoriam tradit qui, primum omnium de adulterio pœnam sumpsisse dicitur :

Ὑήττου δὲ ἐποιήσατο μνήμην καὶ ὁ τὰ ἔπη συνθεὶς ἃς μεγάλας Ἠοίας καλοῦσιν Ἕλληνες·

> Ὕηττος δὲ Μόλουρον Ἀρίσβαντος φίλον
> υἱὸν κτείνας ἐν μεγάροις εὐνῆς ἕνεχ' ἧς ἀλόχοιο
> οἶκον ἀπρολιπὼν φεῦγ' Ἄργεος ἱπποβότοιο,
> ἷξεν δ' Ὀρχομενὸν Μινυήιον· καί μιν ὅγ' ἥρως
> δέξατο καὶ κτεάνων πόρεν ὡς ἐπιεικές.

Πρῶτος δὲ οὗτος ὁ Ὕηττος δίκην μοιχείας λάβων δῆλός ἐστι [3]·

At sæpenumero adulterium quasi damni aliquid pensari nobis constat. In *Odyssea* enim, postquam Martem cum Venere adulterium commisisse manifestum fuit, Vulcanus ab illo adulterii pœnam, τὴν μοίχαγριαν, expetit seque cum ferreis reticulis detenturum esse jurat, donec deus aliquis judicatum solvi satisdet [4]. Tunc Neptunus utrumque ad transigendum adducit, quum ipse sponsorem sese præbeat adul-

1. *Od.*, XXII, 54-59.
2. Ἔχει γὰρ αἰσχυντῆρος, ὡς νόμου δίκην (*Choephoræ*, 990).
3. Pausanias, IX, 36, 7.
4. *Od.*, VIII, 332.

teriique pretium Vulcano, si Mars fugere tentaverit, sese exacturum esse profiteatur [1]. Fide data, tum demum Vulcanus sontem liberat.

III. — De interfectorum traditione.

Jam quum de cæde inter duas familias agebatur, mos sæpe erat, si fabulis antiquis credas, ut interfectorem traditum altera familia non trucidaret, sed eo uti servo mallet. Neque illi nulla spes reliqua erat hanc miseram servitutem posthac effugiendi; sæpe enim postquam pecuniam collegerat qua sanguinis pretium solvere posset, liber dimittebatur. Sic apud Euripidem Apollo memorat sese Cyclopibus occisis, Admeto regi quondam famulatum esse ejusque armenta pavisse [2]. Aut Hercules, postquam Euryti filium occidit, sponte sua, Apollinis jussu, sese ad servitutem præbuit; qui sub Mercurio præcone subjectus ab Omphala emptus est. Tres enim annos sub illius lege famulatus est pretiumque servitutis Euryto obtulit; at ille in transactionem venire noluit [3]. Neque alio modo Cadmus occiso illo dracone qui a Marte procreatus fuisse fama dicebatur, Martis servus, ut necis pœnas daret factus est [4]. Liberos etiam interdum pro patre pensationes præbuisse manifestum est. Sic Hercules, postquam Amphitryo, quod Electryonem occiderat, Argis pulsus fuit, Eurysthæo pollicitus est sese, si compositio admitteretur, pacem in terra ejus firmaturum esse [5].

1. *Od.*, VIII, 355-356. De mœchorum pœna vide Esmein (Un contrat dans l'Olympe homérique, École française de Rome, *Mélanges d'archéologie et d'histoire,* t. VIII, 1888, pp. 426-438). Ut in posterum ostendetur, semper Gortyniæ adulter in ditionem mariti redigebatur, nec poterat nisi pro « pœna » a familia redimi. Cf. caput vi.

2. Euripides, *Alceste*, 1-8.

3. Apollodorus, II, vi, 2-3; — Sophocles, *Trachiniæ*, 255 et sq.

4. Apollodorus, III, iv, 1-2; — Hellanicus, *Fr. H. Gr.* (Müller), t. I, pp. 46-47.

5. Euripides, *Hercules furens*, 15-20.

IV. — Quomodo facinorum memoria pecuniam tradendo omitteretur.

Ceterum non semper ita res se habebat, neque trucidatorem, quum de nece inter privatos compositio fieret, in servitutem redigi necesse erat. Sæpius autem qui ab aliis offensi erant, satis ducebant si cædes magno pretio solveretur. Nonne illam Ajacis apud Homerum sententiam recordamur, scilicet omnibus licere, si filius aut frater trucidetur, a sonte pœnam accipere [1]? Quantum illa pensandi ratio tum valuerit, ex fabula intelligimus qua Thebanos ab Hercule gravi tributo liberatos esse traditur. Hi enim quotannis ad Erginum, Minyorum regem hecatombam mittebant, id antiqum scelus luentes quod Menecæi regis auriga Clymenum, Minyorum regem Erginique patrem dolo occidisset. Erginus vero ulciscendi cupiditate accensus, Thebas expugnavit multosque Thebanos civibus cæsis, civitati toti hoc piaculum injunxerat [2].

Postea etiam de Atheniensium pœna quæ quotannis in Cretam mittebatur alia fama invaluit. Plutarcho enim auctore, alii, ut Philochorus, narrabant juvenes non a Minotauro vorari, sed quasi præmium tribui illi qui in certamine quodam victoriam retulerat; alii autem, ut Aristoteles, in Bottiæorum republica, Minoa illos in servitutem solum redegisse credebant, « ἀλλὰ θητεύονται ἐν τῇ Κρήτῃ καταγηράσκειν [3] ».

Quodsi exquirere velis quantum ab interfectoribus, ad cædem pensandam, solvi necesse esset, Græcorum mores non multum tunc distulisse censemus cum illis qui, medio ævo, apud Germanos aut Hibernios valuerunt. Hi enim de eo, si quis civem occiderat, pœnam exigere solebant quæ viri dignitati responderet. Sic in Hibernia, pro ancilla boves quatuor, pro nobili viginti, ab interfectore solvebantur [4];

1. *Il.*, IX, 632-633.
2. Apollodorus, II, iv, 11.
3. Plutarchus, *Theseus*, 16; — id., *Quæst. Gr.* (éd. Didot, p. 298 F).
4. D'Arbois de Jub. (*op. cit.*, pp. 100-107).

neque alia ratione ex « Lege Salica » qui Francum occiderat CC solidos, sin autem civis interfectus « in truste dominica fuerat », DC solidos solvere cogebatur [1]. Homericis autem temporibus quum ancilla quæ aliis præcelleret, pro quatuor bobus valeret [2], non dubium est quin civis vita ter aut quater tanti æstimaretur. Ceterum in nonnullis civitatibus vestigia antiquorum morum permanserunt, quum ex lege, quæ Gortyniæ nuper reperta, D fere annos ante J. C. prolata est [3], de « pœnis » a Cretensibus in hunc modum judicatum esse appareat.

Scilicet si quis, dum mulieri vim adhibebat aut cum ea adulterium faciebat, in scelere manifesto a mulieris ejusdem proximis deprehendebatur, « pœnam », ad se redimendum, dabat quæ gentis dignitati consentanea esset. C enim stateres, si ingenua mulier erat, solum X, si « τῶν ἀπεταίρων », duo, si serva, solvere debebat [4]. Jam si servus mulierem ingenuam stupraverat, duplici pœna damnabatur [5]. Decies enim tanti matronæ dignitas valebat quanti si « τῶν ἀπεταίρων », id est clientium, erat. Quemadmodum profecto affirmaverim, temporibus homericis « pœnas » hominis interempti dignitati respondisse. Hoc tamen verisimile est tum ex privatorum voluntate de pœnis, et non, ut ex lege Salica aut Gortynia, actum esse. Ut Athenis res semper sese habuit, solum fœdere inter duas familias icto, pœnæ ab interfectore solvebantur.

V. — An ulciscendi munus cum pœnis adhibendis non congrueret.

Verum nonne veteres illi Græci, pactione de bello facienda, religionem erga propinquos lædebant? Nonne, ut ita dicam,

1. F. de Coulanges, *Monarchie franque*, pp. 462-463.
2. *Il.*, XXIII, 705,

Πολλὰ δ' ἐπίστατο ἔργα, τίον δέ ἑ τεσσαράβοιον.

At in *Odyssæa* Laertes Euryclæa viginti boves emerat (*Od.*, I, 428-433).

3. Dareste, Haussoullier, Reinach, *Rec. des Inscript. jurid. grecques*, I (3e fasc. Introduct., p. II).
4. Id., p. 358 (8-11).
5. Id.

nimis ad utilitatem suam spectabant, qui iram pro pecunia deponerent? Quinimmo, nonne repugnabat cum illo sacro ulciscendi officio hæc « pœnarum » consuetudo? At primum animadvertere debeas a principio tum demum de pactione inter inimicos agi, postquam in certamina sævissima venissent. Non autem semper familia propositum suum omnino persequi poterat. Sed quum ei copiæ deessent, nihil aliud reliquum erat, nisi ut cum interfectoris familia in pactionem veniret. Præterea si forte interfectoris cognati sponte sua, priusquam bellum inciperent, pœnas offerebant, sæpe pars altera cum hostibus pacisci malebat, potius quam belli aleam adiret. Tantum autem aberat ut, sic agendo, mortui cognati reverentiam erga mortuum exuere sibi viderentur, ut haud parvam pretii accepti partem manibus illius servare soleret. Achilles, exempli causa, postquam Priami mœrore commotus, Hectoris cadaver pro ingentibus donis patri restituit, apud Patroclem excusatione illa utitur quod ex his divitiis partem idoneam amico suo tribuere decreverit,

> ..... ἐπεὶ οὔ μοι ἀεικέα δῶκεν ἄποινα.
> Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ καὶ τῶνδ' ἀποδάσσομαι ὅσσ' ἐπέοικεν [1].

Tandem non omittendum esse puto familias, dum interfectorem lacessant, rem duplicem semper sibi proposuisse. Gerebantur enim bella ut non solum unius manibus quasi pabulum exoptatum, sed etiam familiæ toti, cognati nece minutæ pensatio præberetur. Neque aliter sese habebat ratio nubendi. Nam ex homericis poematis intelligas tunc dotem fuisse pretium quod vir pro conjuge patri solveret, nempe quoniam, uxorem ducendo, familiam ejus auxilio non spernendo orbavisset [2]. Quid mirum igitur si familia, quum non nuptiis sed nece minuebatur, æquum esse censebat se ab interfectore damni pensationem accipere. Sic religio erga mortuos ac totius familiæ utilitas simul eodem instituto servabantur.

1. *Il.*, XXIV, 594-595.
2. *Il.*, XIII, 381-382; XXII, 471-472; — *Od.*, II. 52-54; VIII, 317-319; XI, 281-282; XV, 16-19, 366-367.

CAPUT III

QUA POTESTATE PACTA, QUÆ PRIVATI INTER SE FACERENT, NITERENTUR

1. De Cautela. — 2. De juribusjurandis. — 3. Utrum reges an populus judicia exercuerint.

At forsan scire velis, quum aliquod fœdus quod ad pœnas, quæ alicui solvendæ essent, pertineret, inter duas familias componeretur, qua fide innixi hostes inter se sponsionibus adligarent. Quod antiquarum fabularum testimoniis nobis traditum est; namque litigatores, homericis temporibus, scilicet duplex hoc pignus cum hostibus ponere, aut jusjurandum facere, aut « cautelam » dare solebant et sic, nunc ad deum aliquem, nunc ad hominem vadem faciebant.

I. — De Cautela.

Qua ratione cautela apud priscos Græcos viguerit, certior fies, si carmen illud homericum attigeris quo Martis Venerisque amores a Demodoco narrantur [1]. Vulcanus enim, perfida uxore ejusque amatore in vincula firmissima conjectis, omnes deos magno clamore vocat, ut utriusque malitia omnium oculis appareat [2]. Itaque deorum magnus fit ad ædes Vulcani concursus. Quodsi rem perpenderis, in hanc opinio-

1. *Od.*, VIII, 266-366. Quod et sollerter demonstratum est in dissertatione quæ : « Un contrat dans l'Olympe homérique », inscribitur, auctore Esmein. (Éc. franç. de Rome, *Mélanges d'archéologie et d'histoire*, 1888, t. VIII, pp. 426-438).
2. *Od.*, VIII, 306-320.

nem certe venias, poetam ea nobis tradere quæ forsan ipse viderit, eorum autem non semel testis fuerit. Dii enim, ut vicini isti qui nonnunquam vicinorum flagitiis delectantur, læto animo in Vulcanum amantesque jocosa dicta jactant;

> ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν
> τέχνας εἰσορόωσι πολύφρονος Ἡφαίστοιο [1].

Omnes igitur, re deprehensa, in id consentiunt, Martem scilicet dignum esse qui adulterii pœnam Vulcano solvat,

> ... τὸ καὶ μοιχάγρι ὀφέλλει [2].

Nequaquam autem talem eventum res habeat, nisi pactio quædam inter Martem Vulcanumque fiat. At quis non intelligat Martem, quamdiu vinculis obstrictus sit, facillime sponsiones daturum, Vulcanum autem, si eum e carcere emittat, nihil pro certo habiturum esse. Itaque quid mirum, si Neptuno eum oranti, ut pro pœna Martem liberet, respondet :

> Μή με, Ποσείδαον γαιήοχε, ταῦτα κέλευε·
> δειλαί τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι.
> Πῶς ἂν ἐγώ σε δέοιμι μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
> εἴ κεν Ἄρης οἴχοιτο, χρέος καὶ δεσμὸν ἀλύξας [3].

Sic Vulcanus malam istam cautelam esse quæ pro malis interponatur, jure ait, Neptunus enim hac sola sponsione Martem ad injuriam pensandam obligaverat.

> Λῦσον· ἐγὼ δέ τοι αὐτὸν ὑπίσχομαι, ὡς σὺ κελεύεις.
> τίσειν αἴσιμα πάντα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν [4].

Quodsi ex his verbis quæ instituta tum vigerent intelligere conamur, manifestum est sontem in scelere deprehensum ac in carcere conjectum securitatem sufficientem non præbere, ut sponsionem quamdam emitteret, fœdusque cum hoste iniret.

1. *Od.*, 327-328, 335-342.
2. *Od.*, 332.
3. *Od.*, VIII, 350-353.
4. *Od.*, 347-348.

At mox Neptunus Vulcano firmiorem cautionem offert, quum ultro spondet semetipsum, si Mars pactum respuat, adulterii pœnam daturum esse,

> Ἥφαιστ', εἴπερ γάρ κεν Ἄρης χρεῖοι ὑπαλύξας
> οἴχηται φεύγων, αὐτός τοι ἐγὼ τάδε τίσω [1].

Non dubitare nobis licet quin hæc sponsio quasi « cautela » valeat, nam quod Vulcanus nuper repudiaverat, nunc sedulo concedit :

> Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις·
> Οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἔοικε τεὸν ἔπος ἀρνήσασθαι [2].

Martisque statim vincula solvit. Civis igitur quidam jam inter duos inimicos intercedere poterat seque, quum inter eos pactio fiebat, pro sonte pœnam perfecturum esse pollicebatur. Hæ vero duæ res, ut lis ita tractaretur, necessariæ erant, quarum una, ut pro eo qui pœna mulctatus esset civis aliquis honestissimus fidem daret ; altera ut illi, qui læsus fuerat, hæc cautela acciperetur.

II. — De juribusjurandis.

Attamen quamvis litigatores ex iis sponsionibus magnam acciperent securitatem, sæpe iis æquum videbatur fœdera, quæ inter eos componebantur, gravioribus, ut ita dicam, cautionibus confirmare : tunc manus ad deos vertebant jurajurandaque dabant. Notum enim et quasi in medio est, jurajuranda apud priscas gentes esse preces quibus numen aliquod obsecretur ut sponsionem quamdam confirmet perjuriumque pœna gravissima affligat. Qui mos et apud Græcos invaluit et, medii ævi temporibus, vim recuperavit, nec mirum est si jurumjurandorum multorum exempla apud Homerum nobis suppeditantur. Sic Agamemno, quum inducias cum Trojanis facit, Jovem obtestatur :

1. *Od.,* VIII, 355-356.
2. *Od.,* VIII, 357-358.

Ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης [1].

Augustiora vero sunt jurajuranda quæ in *Iliadis* tertio libro et undevicesimo quoque nobis referuntur. Non solum Jovem qui idem est quod cœlum, sed etiam Terram, Solemque, Fluminaque, ut breviter concludam, omnes naturæ vires Agamemnon obsecrat, ut fidem suam potestate sua confirment.

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις,
καὶ Ποταμοὶ, καὶ Γαῖα . . . .
. . . .
ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά [2].

Quinetiam consuetudo apud Græcos vulgata erat, si de re graviore agebatur, postquam preces ad cœlum emissæ essent, hostiam trucidare quæ fidei pignus optimum esset. Quodsi eadem exempla revocabimus, Agamemno postquam preces emisit, hic duos agnos [3], illic autem aprum jugulavit [4].

Talibus autem sacramentis mos fuit sæpe omnibus Græcis bellis privatis finem facere. Nam jurejurando dato, discordia inter Agamemnonem Achillemque finem capit, quum Atrides nunquam se Briseidis lectum attigisse obsecrat [5]; etiam in *Odyssæa* fœdus, postquam inter Ulyssem procorumque familias est conclusum, etiam juribusjurandis firmatur,

Ὅρκια δ' αὖ κατόπισθε μετ' ἀμφοτέροισιν ἔθηκεν
Παλλὰς Ἀθηναίη ..... [6].

Nec mirari debeas, si per jusjurandum omnes lites concludebantur, quum intellexerimus jusjurandum nihil aliud esse, nisi litigatorem alterum a deo petere, ut sui erga alterum cautionem ipse afferat. Itaque quum Agamemno Jovem Terramque vocat, eos jubet sponsionis suæ cautiones fieri.

1. *Il.*, VII, 412.
2. *Il.*, III, 276-280. — De similitudine inter jurajuranda quæ apud Gallos Græcosque ferebantur, vide d'Arbois de Jubainville, p. 14.
3. *Il.*, III, 292-293.
4. *Il.*, XIX, 266.
5. *Il.*, XIX, 258-266.
6. *Od.*, XXIV, 546-547.

Non autem satis certam litigatores habuissent deorum cautelam, nisi inter ambos constitisset, si alteruter fidem violaret, eum a diis magna tormenta accepturum esse. Fœdissimum enim omnibus videbatur deum, quum pro aliquo, ut ita dicam, cautelam interposuisset, postea mendacem apparere. Itaque quid mirum si eum, qui dare jusjurandum debebat, magnus tremor sæpe corripiebat. Deum enim quasi cautionem vocare, non aliud erat quam se suaque erga deum obligare. Quum homo, cautela pro aliquo data, illum, si sponsionem suam contempsisset, jure lacessebat, quanto divina ultio humana terribilior! Nullum erat piaculum per quod tantum scelus expiari posset; quicunque igitur jusjurandum dabat, in seipsum, si perjurus fieret, exsecrabatur. Sic Agamemnon Priamusque, postquam ad deos de fœdere servando vocaverunt, has quoque exsecrationes addunt :

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος,
αὐτῶν καὶ τεκέων, ἄλοχοι δ' ἄλλοισι δαμεῖεν [1].

Ferunt enim, Homero teste, deos in inferis esse, qui animas perjuriis fœdatas, gravissimis pœnis affligant,

... καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ [2].

Quæ sint numina illa Agamemnon dilucide exprimit quum ea Eumenides vocat,

καὶ Ἐρινύες αἵθ' ὑπὸ γαῖαν
ἀνθρώπους τίνυνται, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ [3],

Itaque quum Pandarus fœderis inter Achæos Trojanosque conclusi immemor, in Menelaum sagittam immisit, Agamemnon ad Jovem vocat, quo fere præsente pactum convenit,

1. *Il.*, III, 298-301.
2. *Il.*, III, 278-279.
3. *Il.*, XIX, 259-260.

Trojanisque calamitates minatur quibus mox hoc perjurium solvatur;

> Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν
> ἐκ δὲ καὶ ὀψὲ τελεῖ · σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
> σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι, γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν [1].

Trojamque solo æquatum iri nuntiat,

> ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ
> καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο [2].

Atque Idomeneus, quum Achæos ad prælium concitat, Trojanorum perjurium prædicat magnos labores exitiumque consecutura esse [3]. Dii denique ipsi, quum sponsione quadam sese obligant, Stygem et deos inferos obtestantur et Titanos ipsos quibuscum quondam, orbis imperii causa, decertaverunt [4]. Ut postea apud medii ævi gentes evenit, multa tradebantur de iis qui perjuraverant. Quidni igitur ad eamdem rationem fabulas illas fictas esse existimes? Multa nobis talis rei exempla, si « Sanctorum acta » vel Gregorii Turonici opera versamus, suppeditantur [5] : presbyterum quemdam, quum Theodeberto regnante, Franco cuidam litem inferret et in S. Maximiani sepulcro jusjurandum cum obsecrationibus daret, dixisse : « Hujus sancti virtute opprimar si ali- « quid falsi loquar, » vix hæc verba emisisse et confestim mortuum esse [6]; sic quoque Turonicum quemdam civem, quum cædis furtique insimularetur, crimenque, jurejurando in Turonica basilica apud episcopum dato, deteruisset, intra eumdem annum obiisse. « Manifestata est virtus S. Mar- « tini in cujus basilica sacramentum protulit mendax [7] ». Quibus fabulis parum abest hoc quod apud Græcos narrabatur de polemarcho Corinthio quodam; scilicet eum, quum

1. *Il.*, IV, 160-162.
2. *Il.*, IV, 163-164.
3. *Il.*, IV, 268-271.
4. *Il.*, XIV, 271-280.
5. Nonnulla exempla collegit Fustel de Colanges in libro qui *La Monarchie franque* inscribitur, p. 448.
6. Gregor. Turon., *De gloria confessor*, 93.
7. Gregor. Turon., *Hist. eccl. franc.*, VIII, 40.

perjurium admisisset, classem quam ducebat, deseruisse sed paulo post noctu dormitantem a mustelis corrosum esse, adeo ut ipse sibi mortem inferret [1].

Tanta igitur erat jurisjurandi religio, ut illo tempore omnibus litibus inter privatos vel inter civitates terminus sic imponeretur, atque, si humana cautela deesset, ad deos litigatores vocarent. Jam igitur illis priscis temporibus apparet nonnullorum morum initium qui in posterum vigebant; nam ex cautionibus illis, per quas tunc fœdus inter duas familias venerabilius fit, postea jusjurandum et cautela exorientur et in antiquis judiciis usurpabuntur.

III. — Utrum reges an populus tunc judicia exercuerint.

Hæc fuerunt instituta quæ maxime quo tempore *Iliadis* priora carmina composita scilicet sunt, id est millesimo circa anno ante J. C., floruerunt. Quum inter duos cives seditio exoriebatur, litigatores non in alicujus arbitrium causam committebant, sed ipsi pugnis vel cæde hostem dirimere tentabant aut, si melius visum erat, fœdus inibant quod vel alterius cautela, vel ipsorum jurejurando nitebatur. At certe de summa aut regis, aut cujuslibet alterius potestate, nulla prorsus mentio est; itaque, quum in principio primi nostri capitis [2] agitaremus an facultas causarum judicandarum regibus esset, nunc certo respondere debeas illis temporibus nequaquam reges fuisse qui sua auctoritate lites componerent, sed privatos privatim sua quemque defendisse; neque ullam tunc vim publicam qua cives adligarentur, nullam fere, ut ita dicam, « rempublicam » exstitisse.

Quis enim hæc simul (quæ quidem contraria) contendat, et reges fuisse tam magna potestate ornatos, et privatos sævissima prælia inter se commisisse, donec sponte sua et non alieno quodam imperio advocato, fœdus jungerent? Negaverim utrumque simul fieri potuisse, quum maximum sit regis munus pacem inter cives tueri omnique sævitia

1. Heraclides, *De rebus publicis* (*Frag. hist. gr.*, t. II, pp. 221-222).
2. Vide ad pp. 17-18, caput I.

reprimenda qua quis affligeretur. Ad hoc, abhorrebat moribus illorum temporum regem talia judicia judicare, adeo ut nulli ac ne regi quidem liceret ultionem domesticam, qua nullum officium sanctius videretur, prohibere. Quemadmodum et in posterum, usque ad Solonem, nullus magistratus filiorum aut servorum discordias cum patre componere poterat, sed summa potestas et in mulierem, et in pueros, et in servos cuique suos contingebat, sic illo tempore reges injurias, ne foris quidem privatis illatas, reprimebant. Itaque poetæ in priscis fabulis nullum regem fingunt qui discordias inter privatos componat, quippe qui nihil aliud nisi bella externa facerent. Neque quum armenta Thesei Pirithoüs rapuit, inter eos de judice eligendo agitur : sed Pirithoüs ultro Theseum advocat ut, quid damni passus sit, ipse perpendat seque ad pœnam luendam paratum præbet [1]. Etiam quum lis de adulterio inter Vulcanum Martemque exorta est, nullus deus judicis partes sibi assumit, neque ad Jovem qui omnibus diis, ut rex, imperat, causa affertur. Quodsi qua, in quibusdam *Odysseæ* et *Iliadis* quoque locis, de arbitris mentio est, ut posterius demonstrabitur, ea ad recentiorem ætatem pertinent qua jam bella inter privatos paulatim desinere inceperunt; insuper inter illos arbitros nullum regem invenimus. Unde apparet reges simul atque in græcis civitatibus instituti sunt nequaquam summos judices gessisse.

Qui fit autem ut in plerisque libris quorum index a nobis comparatus est [2], auctores fere omnes nequaquam in illam sententiam venerint, sed nullum fuisse regem, quin simul judex esset, asseruerint? Hos scilicet fefellerunt nonnulla testimonia de quibus mox disputatio erit, præsertim autem ad pravam rationem prisca Græcorum instituta usurpavisse mihi videntur. Perpendere enim necesse est argumenta quibus illi nisi sunt; quæ duobus generibus continentur, seu de antiquorum scriptorum testimoniis, seu de homericis poematis hausta fuerunt. Aristoteles enim in Politica quatuor esse regiarum potestatum genera dicit quæ aut apud

1. Plutarchus, *Theseus*, XXX : « Ἐκέλευσεν αὐτὸν γένεσθαι δικαστὴν τὸν Θησέα βοηλασίας · ἑκὼν γὰρ ὑφέξειν, ἣν ἂν ὁρίσῃ δίκην ἐκεῖνος. »
2. Vide ad p. 18.

Lacædemonios, aut apud barbaros, aut in nonnullis civitatibus quæ « æsymnetarum arbitrio » sese committebant, aut denique heroïcis temporibus usitatæ fuerunt [1]. Quorum duo ad rem nostram maxime pertinent : nam Aristoteles asserit apud Lacædemonios non summam rerum omnium penes reges fuisse, sed solum bellorum aut sacrorum perficiendorum potestatem; temporibus vero heroicis et bella, et sacra et judicia quoque. « Κύριοι δ' ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον [2]. »

Quis autem non videat hæc duo instituta tantum, quod ad judicia spectet, differre. Quum autem Lacædemonii antiquorum morum semper tenaciores fuerint, eorum instituta priscorum Achæorum consuetudines nobis referunt. Jam tantum abest ut hoc Aristotelem fugerit, quum ipse Spartanum regnum cum prisco imperio conferat : « Αὕτη μὲν οὖν ἡ βασιλεία οἷον στρατηγία τις αὐτοκρατόρων καὶ αἴδιός ἐστιν · κτεῖναι γὰρ οὐ κύριος, εἰ μὴ ἔν τινι βασιλείᾳ, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων ἐν ταῖς πολεμικαῖς ἐξόδοις ἐν χειρὸς νόμῳ. Δηλοῖ δ' Ὅμηρος · ὁ γὰρ Ἀγαμέμνων κακῶς μὲν ἀκούων ἠνείχετο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐξελθόντων καὶ κτεῖναι κύριος ἦν [3]. » Sic testatur Aristoteles, tacite quidem, tempore homerico nullum jus coercendi vel cujusquam occidendi regibus fuisse, nisi justo imperio ornati, civium exercitui imperarent. Jure enim Aristoteles putat, ut « imperatorem », Agamemnonem hæc verba emisisse :

> Ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
> μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα
> ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς [4].

Quod cum nostra sententia omnino congruit, scilicet quod a principio reges in civitatibus instituti sint modo, ut sacra publica curarent civitatemque ab externis periculis tuerentur.

Nunc autem cur regibus qui temporibus heroicis vigebant Aristoteles judicum potestatem (τὰς δίκας ἔκρινον) tribuerit,

1. Aristoteles, *Polit.*, III, IX, 7.
2. Aristoteles, *Polit.*, III, IX, 7.
3. *Id.*, III, IX, 2.
4. *Il.*, II, 391-393.

rationem reddere necesse est, et primum quæ sint homerica loca e quibus reges judicia dedisse credantur?

Nonnunquam quidem in *Iliade* agitur de regibus qui sceptrum legesque a Jove, ut populo consulerent, acceperunt,

εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ [1];

atque his verbis Nestor Agamemnonem alloquitur :

... πολλῶν
λαῶν ἐσσὶ ἄναξ, καί τοι Ζεὺς ἐγγυάλιξεν
σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βουλεύεσθα [2].

Sic Agamemnon se Achilli urbes aliquas daturum esse spondet in quibus

καὶ οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας [3].

Quas « θέμιστας » nihil aliud nisi leges, aut potius mores qui rite a patribus filiis tradebantur esse patet. Itaque quum poeta noster asserit regem curam suscepisse legum servandarum, non de judiciis agitur, sed tantum de juribus quibus civitates reguntur. At enim quæ sunt ista jura? Sunt vel de sacris perficiendis, vel de exercitibus ducendis, vel de concionibus advocandis. Ad hæc solum regis cura attinebat, quia a principio solum hujusmodi vinculis cives inter se adligati erant; privatæ contra discordiæ privatim tractabantur. Non dubium est quidem quin reges, si, ut ex *Iliade* apparet, magnis divitiis viribusque pollebant, magnam in civitate auctoritatem obtinere potuerint : nunquam vero eo tempore videmus eos sua auctoritate, ad lites comparandas, usos esse. Sed, ut penes regem erant quæcumque ad civitatis defensionem, vel deorum patriorum cultum spectabant, sic patresfamilias familiam quemque suam et rem summa potestate regebant. Testis est, exempli causa Jupiter qui, quum in diis summam potestatem exerceat, nunquam tamen

1. *Il.*, II, 205-206.
2. *Il.*, IX, 96-99.
3. *Il.*, IX, 156.

in *Iliade* discordias inter deos exortas placat. Jam si quo tempore fabulæ illæ fictæ sunt, reges summi judices fuissent, manifestum est deorum regem, ut postea, in Hymnis homericis, litium inter deos comparandarum curam suscepturum fuisse [1].

At quæ regis non essent, populum totum a principio tractavisse nuper asseruit Gilbert [2]. Quo auctore, priusquam Mycenæi reges florerent, populi concionem capitis causas sibi assumpsisse patet; de qua re nonnulla exempla adhibet morum qui postea vel apud Macedones, qui majorum consuetudines diu servaverunt, vel apud alias Græciæ civitates viguerunt. Idem ait si quem populus morte dignum esse judicaret, statim ab omnibus eum lapidibus obrui. Quodsi testimonia, quibus Gilbert propositum suum firmat, perpenderis, facile adspicias ea plerumque [3] ad causas potius publicas quam privatas pertinere, præterquam quod ex posterioribus temporibus ea duxerit. Agitur enim aut de Ajace, Oilei filio, quem, quum Cassandram Minervæque sacrum fœdaverit, Græci lapidibus obruere decreverunt, auctore Arctino Milesio [4]; aut, ut posteriora usurpemus, de Alexandro Magno qui Philotam, quum vitæ ejus insidiari novisset, in concione accusavit [5]; aut de Hermolao qui, quum Alexandrum infandorum facinorum insimulavisset, ab exercitu lapidibus obrutus est. Quis non videat hic non de privata contentione agi, sed potius de publica utilitate quæ hic sacrilegio, illic autem insidiis vel calumniis in regem instructis labefactabatur. Itaque non negaverim equidem, quando publica esset causa, vel regem, vel populi concionem quasi judices exstitisse; sed quis inde colligat quum publicas, tum privatas quoque causas ad populum referri? Hoc certe mihi videor omnino infitias ire posse.

Quocumque igitur lis inter duas familias exorta evaserat,

1. Vide Hymnum ad Mercurium, 324 et postea. Quodsi quis, ut Gilbert, ex hoc argumentum capiet quod Achilles de jurisperitis, δικασπόλοι, mentionem facit, non illos esse reges manifestum est, sed arbitros de quo mox agetur (*Il.*, I, 237-239).

2. *Op. cit.*, pp. 445-446.

3. Ut hæc quæ de *Odyssæa* excerpuntur (*Od.*, XVI, 376-424).

4. Arctinus, Ἰλίου Πέρσις (*Cycl.*, fragm. Didot, p. 584).

5. Arrian., III, 26, 2.

sive inter sese dimicabant, sive in pactionem venire malebant, liquet illas tunc sponte sua et ex propria auctoritate negotia sua tractavisse. Sicut enim nemo tam potens erat qui utrumque, si ad pugnam proni essent, contineret, sic illi, si placabiliore animo in pacem inclinarent, ipsi pactum ultro, neque ullo auxilium præbente statuebant. Quodsi quis fidem datam prodere ausus erat, ad certamen iterum omnes currebant, neque erat ulla potestas qua inimici pactionem servare cogi possent. Itaque quam incerta atque infirma fœdera illa fuerint, patet. Quid mirum si illo tempore viri quidam prudentiores, quum ad statum stabilem faciendum tenderent rerum, alio modo componere lites conati sunt? Inde arbitrorum ratio exstitit. Nunc autem ad recentiorem ætatem pervenimus.

CAPUT IV

DE ARBITRIS

1. Quid Græci anno fere octingentesimo de justitia sentirent. — 2. Qui fuerint arbitri. — 3. De arbitrandi ratione. — 4. Quæ fuerit arbitrorum potestas.

Non dubium est quin cupiditas discordiarum, ut ita dicam, ab ovo placandarum sensim homines tenuerit, quum neque civitas bene morata esset, neque ulla privatis, si semper cruentis bellis respublica perturbaretur, securitas. Itaque, ne in certamen dissensio desineret, sæpe mutua consensione inimicis visum est litem ad alicujus arbitrium committere. Sic novus apud Græcos mos adolevit, ut quidam, omnibus sapientissimi habiti, lites componerent. Quomodo eorum auctoritas accreverit, indagare maximi ponderis esse arbitramur.

I. — Quid Græci anno fere octingentesimo de justitia sentirent.

Ac primum non animadvertere nequimus quales, ut ita dicam, juris radices priscorum temporum hominibus insitæ essent et quæ illis esset, quod rectum justumque sit, servandi cura. Ulysses Achilli nuntiat ei ab Agamemnone prandium in tabernaculo oblatum iri, sic eum quod justum sit accepturum esse [1]. In *Odyssæa* quoque, quum de Achillis armis inter Græcos prælium narratur, Trojani Pallasque pugnatoribus jus dicunt.

1. *Il.*, XIX, 179-180.

Παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη [1].

Quodsi δικάζειν in latinum transferas, manifestum est hoc verbo significari non, ut in lingua nostra, si quis pœnam edicendo judicet, sed modo quid justum sit, declaret. At hoc justum quid fuerit, nos homerici Achæi suis orationibus sermonibusve admonent, quum ubique et semper profiteantur solum illud justum esse quod secundum illas leges non scriptas quæ natura a principio hominibus quasi innatæ sint, efficiantur. Nempe « τὰς θέμιστας » servari a civibus necesse est. Eumæus enim Ulyssi advenienti declarat nequaquam sibi fas esse « οὔ μοι θέμις ἐστὶν », peregrinos e domo ejicere [2]. Et Agamemno, quum Achillis iram lenire conatur, sese Briseidis thalamum nunquam attigisse jurejurando firmat [3].

Leges igitur illas maxime venerandas omnibus esse Græci censebant; nec tum quisquam hoc mirabatur, quod illæ a Jove ipso constitutæ essent. Pastori enim Eumæo hospites accipere justum videtur « quod a Jove ipso missi sint [4] ». Et in *Iliade* Homerus describit quæ sit ira Jovis si forte in conciliis hominum jura claudicent justitiaque a civibus omissa sit [5]. Tum deus ira incensus, amnibus in agros effusis, omnia humana opera penitus evertit; sic quicumque justitiam violavit pœnas a deo luit sævissimas [6]. Itaque Cyclopes quum nullam a Jove legem datam servent ex suomet ipsorum arbitrio suismet legibus se et liberos et conjuges regunt [7]. Quinetiam summa eorum Græcorum cura justitiæ colendæ maxime ex eo apparet quod illam virtutem sub speciem deæ ante Jovis thronum semper stantis, cui nomen erat Themis,

1. *Od.*, XI, 543-547.
2. *Od.*, XIV, 56-58.
3. Ἣ « θέμις » ἀνθρώπων πέλει... *Il.*, IX, 131-133 ; — *Od.*, IX, 106-112 ; 215.
4. Πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες (*Od.*, XIV, 57).
5.
Οἳ βίῃ εἰν' ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες (*Il.*, XVI, 387-388).

6. *Id.*, XVI, 389-392.
7. *Od.*, IX, 114-115.

... Θεμιστεύει δὲ ἕκαστὸς
Παίδων ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσιν.

effingebant, Telemachusque ad se Jovem Themidaque vocat qua hominum cœtus congregari soleant,

ἥτ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει ἠδὲ καθίζει [1].

Nec fas illam offendere : procus quidam, exempli causa, Telemachum a se occisum iri profitetur, si facinus illud Jovi maximi legibus permittatur,

Εἰ μὲν κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο θέμιστες [2]
αὐτός τε κτείνεω... [2].

Quare illis exemplis nobis perspicere licet ab hujus temporis hominibus leges divinas haberi. Qui Jovem ipsum omnium jura tuiturum esse censebant; nec quidquam existimabant in civitate esse venerabilius quam justitiam defendere civiumque lites rectis judiciis componere.

Neque alia ratione ac Homerus, Hesiodus de justitia sentiebat. Qui eodem modo Justitiam ab Jove ipso ad homines delapsam fuisse arbitrabatur. Nam initio poematis quod *Opera et Dies* inscribitur, Jovem obsecrat obtestaturque ut justitiam certa lege regat.

Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει
Κλῦθι ἰδὼν αἰών τε, δίκῃ δ' ἴθυνε θέμιστας [3].

Etenim triginta millia deorum sub terra esse fingit qui justitiam hominibus servandam susceperint [4]. Justitia enim quæ apud Homerum quidem Θέμις, apud Hesiodum autem, Δίκη appellatur, ex ipso Jove nata, immortalibus maxime veneranda videtur

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
κυδρή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν [5].

Quæ si quando ab hominibus læditur, subito ad patrem

1. *Od.*, II, 69.
2. *Od.*, XVI, 403-404.
3. *Opera et Dies*, 9-10 ; — *id.*, 36, 239.
4. *Id.*, 252-254.
5. *Id.*, 256-257.

ascendit illique facinora ab optimatibus perpetrata ostendit, quorum civitas tota pœnas dabit [1]. Feris quidem legem illam Jupiter posuit, ut sese, quod in illis nulla justitia esset, invicem vorarent : homines vero justitia donavit quæ pacem et concordiam illis redderet [2]. Duas enim urbes Hesiodus esse fingit; quarum altera sapientibus legibus ornata nonnisi cives beatam vitam agentes omnique beneficio cumulatos habet [3], altera autem impudentia sævitiisque gravata a Jove injuriosius mulcatur, quum ab ea insignes pœnas repetere decrevit [4].

At non solum Justitiam, sed etiam Injuriam poeta esse fingit quæ « Ἔρις » vocatur. Duo enim sunt apud homines Injuriarum genera; quorum alterum bellum est, quam pestem mortales superorum necessaria lege obstricti patiuntur; alterum vero lites quas Nox Erebia peperit Jupiterque hominibus protulit [5]. Itaque « Ἔρις », si apud nos Justitia claudicat

.....σκολιῇς δὲ δίκῃς κρίνωσι θέμιστας [6],

homines cruentissimis malis affligit.

II. — Qui fuerint arbitri.

Itaque ii quibus discordiæ inter cives placandæ tradebantur, divinitus, ut ita dicam, agere videbantur. Jam antiquos reges in *Iliade*, sapientia divinitus præditos, quum a Jove sceptrum legesque acciperent, Homerus habetur,

εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ [7].

Non sequitur autem ex illis Homeri locis ut a regibus judicia publica exercerentur. Quod, ut intelleximus, ab illorum tem-

1. *Opera et Dies*, 258-260.
2. *Id.*, 276-280.
3. *Id.*, 225-238.
4. *Id.*, 238-239.
5. *Id.*, 11-20, 28.
6. *Id.*, 221-224.
7. *Il.*, II, 205-206; — *id.*, IX, 96-99.

porum usu omnino abhorruisse constat; sed modo de regis auctoritate, qualis in civitate fuerit, dicit Homerus. Jam sæpe ille nonnullos homines commemorat sponte sua propositum tenere discordiarum inter cives placandarum; qui δικασπόλοι vel judices a poeta nominantur. Achilles enim, dum se nunquam postea pro Achæis esse pugnaturum jurat, sceptrum illud testatur quo judices, tanquam legis a Jove dictæ custodes utantur [1]. Et in *Odyssea* mater Ulyssem allocuta, nuntiat Telemachum rem suam gerere magnorumque prandiorum participem esse, ut par videtur judici,

.... ἃς ἐπέοικε δικασπόλον ἄνδρ' ἀλεγύνειν
πάντες γὰρ καλέουσι.... [2];

ab omnibus enim eum in convivium arcessi solere. Inde patet judices illos inter civitatis præstantissimos electos esse atque amplissimos honores accepisse. Plerumque vero senes qui longo usu prudentiores esse existimabantur lites inter juvenes componere solebant. Virum enim Homerus nobis describit e foro degredientem postquam juvenum multas lites placaverit [3]. Sæpe etiam si quam mulierem a diis prudentia donatam esse vulgatus est rumor, multi eam orant quidam ut suam causam dicat judicetve. Sic Arete regina, Alcinoï conjux, quum sanissimæ mentis esset, hominum lites solvere assueverat [4]. Nam tum nullam normam exstitisse constat qua quis arbitri munere fungeretur. Atque ex iis quæ produximus exempla, apparet diversos et cujuslibet generis arbitros fuisse. Quum lis inter Ajacem Ulyssemque de Achillis armis lis exorta esset, Pallas cum nonnullis Trojanis judices electi sunt [5]. Quæ fabula et in « Iliade parva » ampli-

1. *Il.*, I, 238-239.... δικασπόλοι οἵτε θέμιστας | πρὸς Διὸς εἰρύαται.....

2. *Od.*, XI, 186-187.

3. *Od.*, XII, 439-440.

...... ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν
κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν

4. *Od.*, VII, 73-74.

Οὐ μὲν γάρ τι νόου γε καὶ αὐτὴ δεύεται ἐσθλοῦ
οἷσι τ' εὐφρονέῃσι καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει.

5. *Od.*, XI, 547.

ficatur : Agamemno, quum ipse abnueret inter duces de Achillis armis decertantes, sententiam dicere, ne alterutri injuste favere videretur, captivos Trojanos interrogavit a quo sævissima mala accepissent? Qui « ab Ulysse », responderunt [1].

Hoc autem nostra maxime interest, quod sæpe ad civium concionem lites esse delatæ videntur. Sic in *Odyssea* Telemachus cives ad cœtum vocat, non ut dicit ipse, ad res publicas tractandas, sed ut inter se et procos a populo judicium feratur [2]. Hic igitur totus populus de lite arbiter constituitur. Nam ante illum Telemachus queritur quantum damni rei suæ a procis quotidie fiat, adeo ut nullus dies sit, quin armenta trucidentur, vinum potetur, omnia diripiantur [3]. A populo igitur auxilium Telemachus petit, non quia regis filius est, sed tanquam privatus qui a privatis læsus fuit. Idem postea populi judicium proci timebant, postquam insidiæ ab iis in Telemachum paratæ inanes evaserant; metum enim unus ex iis cepit ne Telemachus, populo ad concionem vocato, eorum facinora aperiret, ipsique ad civium iram deterrendam, exsilio semet ipsi mulctare cogerentur [4].

Itaque, ut ex iis exemplis intelligi potest, tunc ad id auctoritatis civium cœtum venisse constat, ut privati, si cujus arbitrio lites committere decrevissent, nullam præstantiorem venerabilioremque esse potestatem quam totius populi existimarent. Sæpius quidem alii illo judicis officio fungi poterant; si vero de majore quadam causa agebatur, aut inter familias discordia exorta erat, ad concionem omnium civium litigatores vocare mos erat. Ergo si testimonium ex illa consuetudine capias, familiæ quibus civitas constabat, arctioribus vinculis tenebantur quam eo tempore, quo solum ulciscendo lites componerent. Nam multis mutationibus hanc ætatem perturbatam esse constat, quum in potestatem regum, qui e divina stirpe essent nati, jam præcipuæ civitatis familiæ successissent. Itaque, et hoc ad propositum nostrum assequendum maximi momenti esse arbitramur, in omnibus

1. Parva Ilias. (*Cycli fragmenta*, Didot. p. 596 (5).)
2. *Od.*, II, 44-45.
3. *Od.*, II, 50-58.
4. *Od.*, XVI, 376-383. Hic autem de « publica utilitate » agi videtur.

fabulis nullum testimonium invenias quo aliquando reges judicum munere functos esse manifestum sit [1]. Nam illis temporibus reges, ut belli duces aut in civitate sacerdotes, maxima auctoritate fruebantur, minime autem discordias placare poterant (quas privati inter sese pugnis aut compositionibus tractabant); atque postea, quum mos arbitrorum eligendorum adolevit, jam regum imperium fere in omnibus civitatibus minus fiebat. In Scheria civitate, exempli causa, quæ apud Homerum descripta est, non unus regis titulum usurpabat, sed civis quisque præstantissimus βασιλεύς, vel rex appellabatur [2]. Eadem etiam apud Bœotios viguisse, Hesiodo teste patet [3].

Ad illam ergo ætatem pervenimus, quum in omnibus urbibus auctoritas nonnullorum crescere incepit. Diu ab optimatibus civitates gubernatæ sunt qui, quod quidem magni temporis fuit, constituerunt illam civitatis rationem, cunctis civibus communem, quæ πολιτεία « respublica », appellari solet. Non vero priscis illis temporibus potestas civium societati evenit, qualis apud recentes evasit. Nam quamquam inter cives pacem componere jam civitatis munus esse videbatur, nihilominus antiqua familiarum potestas quasi integra permanserat. Quæ semper suo jure sese ipsæ regebant neque cujusquam imperio suos lites. ipsis invitis, componi patiebantur. Forsitan quidem cives universos, at sponte sua, ut discordias suas placarent, obtestarentur. Ceterum quæ fuerit illa recentiorum Græcorum consuetudo ab Homeris quibusdam locis intelligere licet.

1. Non tamen infitias imus tunc fieri posse ut litigatores a regibus litium comparationem peterent : ita tamen, ut nobis hoc concedatur fortuitum, non necessarium fuisse. Quodsi ad reges causarum disceptatio rite pertineret, neque Arete regina, sed Alcinoüs rex arbitria emisisse fingeretur, neque Ithacæ, Mentoris sententiam rex ipse, Ulysses, acciperet. — In exemplo quod Gilbert (*op. cit.*, p. 460) ex Hesiodo (*Theogon.*, 81-91) excerpit, non de lite privata sed potius de vulgi seditione agitur.

2. *Od.*, VI, 53-54; VII, 49-50; VIII, 390-391, 40-42; XIII, 203-205.

3. *Opera et dies,* 38-39, 200, 246 etc.

III. — De arbitrandi ratione.

Primum enim in extrema parte *Odysseæ,* quum parentes procorum ab Ulysse cæsorum, ulciscendi cupiditate accensi, bellum adversus regis familiam gerunt, duarum familiarum discordiam descriptam habemus. Mox civis quidam pacem inter eos componendam suscipit qui adeo virtute et prudentia omnes antecellit, ut poeta fingat eum non Mentorem, sed, sub Mentoris specie, ipsam Minervam.

Μέντορι εἰδομένη ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν [1].

Primum Ulysses de certamine decedit, ne adversus se Jovis iram accendat,

... « παῦε δὲ νεῖκος ὁμοιΐου πολέμοιο,
μήπως τοι Κρονίδης κεχολώσεται εὐρύοπα Ζεύς. »
Ὣς φάτ' Ἀθηναίη · ὁ δ' ἐπείθετο, χαῖρε δὲ θυμῷ [2].

Quod ad rem nostram maxime refert, quia inde apparet jam ultionem non pro sacro officio haberi, sed diis placere, homines paciscendo de discordiis suis desistere. Nefandum quoque jam videtur esse si homines ejusdem civitatis cruentis bellis inter se mortem afferant; quod, ait Minerva, bellum esse horrendum,

Ἴσχεσθε πτολέμου, Ἰθακήσιοι, ἀργαλέοιο [3].

Ergo inimici, arbitro Mentoris accepto, ad pristinam concordiam reducuntur; neque ulla malefactorum memoria

1. *Od.,* XXIV, 548. Jure d'Arbois de Jubainville (*Droit celtique,* I, p. 161) asserit illa fabula hoc confirmari, justitiam scilicet a diis hominibus proditam fuisse : « Ce qui est surtout remarquable dans le récit homérique, c'est l'intervention d'une déesse, c'est la menace qu'elle adresse à Ulysse, quand elle lui dit que, s'il veut continuer la guerre contre les parents des prétendants morts, il excitera contre lui la colère toute puissante de Zeus. Dans son rôle de pacificateur, Mentor, sous les traits duquel Athéné se cache, est le représentant des dieux à Ithaque, comme sept siècles plus tard les druides en Gaule. »

2. *Od.,* XXIV, 543-545.

3. *Od.,* XXIV, 531.

superest. Jupiter enim Minervam ad pacem inter Ithacenses comparandam incitat his verbis :

« Ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ὁ μὲν βασιλευέτω αἰεί,
ἡμεῖς δ' αὖ παίδων τε κασιγνήτων τε φόνοιο
ἔκλησιν θέωμεν ... [1]»

Quodsi inimici ad arbitrium redigantur, jam procorum parentes nullam pœnam de Ulyssis opibus esse vindicaturos. Tum Mentor, postquam ab utraque parte litis componendæ curam accepit, ab iis jurajuranda exigit, quæ sacrificiis confirmantur,

ὅρκια δ' αὖ κατόπισθε μετ' ἀμφοτέροισιν ἔθηκεν.

Quali autem pacto pax inter eos restitui potuerit, e fabula ipsa apparet [2]. Nullum scilicet fœdus valet, nisi utraque pars condicione tenetur. Itaque Ulysses, quod procos trucidavit, pro eorum unoquoque pœnam parentibus ejus luere jubetur; illi autem, quorum liberi Ulyssis rem diu gravissimis damnis affecerint, boves reddendo, hæc damna pensare coguntur. Aliud autem postea, teste Aristotele in « Ithacensium republica », de hoc arbitrio tradetur. Hic non Mentor, sed Neoptolemus quidam arbiter electus est, « μεταπεμφθεὶς δ' ὑπ' ἀμφοτέρων διαιτητής ». Qui Ulyssem cædibus fœdatum, ἐφ' αἵματι (hoc autem ipsum fabulam recentiorem esse demonstrat), patriam relinquere debere judicavit, « φεύγειν ἐκ τῆς Κεφαλληνίας καὶ Ζακύνθου καὶ Ἰθακης », procorum autem socios illi solvere quidquid proci in ejus domo unum annum devoravissent [3].

Dilucidius autem, qualia arbitria fuerint, perspicias ex hoc loco *Iliadis* ubi Scutum Achillis describitur; quem longo tempore post pleraque *Iliadis* carmina conditum esse credimus.

Nam inter ea quibus Vulcanus Achillis scutum exornat, lis est duorum hominum initio. Primum enim in Foro litigatum esse inde liquet :

1. *Od.*, XXIV, 483-485.

2. Hoc feliciter d'Arbois de Jubainville invenit et explanavit (*Droit celtique*, I, p. 159-162).

3. Aristoteles, *Respub. Ithac.* (apud Plutarchum, in *Quæst. græcæ*); — Müller, *Fragm. hist. gr.*, II, pp. 147-148.

Λαοὶ δ' εἰν' ἀγορῇ ἔσαν ἀθρόοι [1].

Etiam in nonnullis locis lites in Foro tractatas esse Homerus asserit. Mediis enim Achæorum in castris prope Ulyssis tabernaculum aræ diis exstructæ sunt, hoc est forum ubi judicia fiunt, ἵνα σφ' ἀγορή τε θέμις τε [2]. In *Odyssæa* autem jam legimus in Foro juvenum lites dijudicari [3]. Quum igitur populus frequens in Foro esset, lis magna inter duos cives exorta est; nam de cædis alicujus compositione decertabant, quum alter sese pro nece pœnam præbuisse juraret et ad populum vocaret, alter vero se nihil accepisse assereret [4].

Itaque nobis manifestum fit ab altero alterius cognatum quemdam trucidatum esse, posthac vero utramque familiam sponte sua in compositionem venisse. Quare non de cæde inter litigatores illos agitur, quum, ut bellum privatum vitarent, pactionem jam fecissent qua interfector se sanguinis pretium soluturum esse polliceretur; poeta enim ipse aperte significat solum de damno pensando agi.

Quare iis placuit alicujus arbitrio causam committere;

Ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι [5].

Animadvertendum maxime est a nullo eos ad hoc consilium capiendum adductos fuisse; primum coram omnibus uterque contendebat, deinde sponte sua judicem eligere melius visum est.

Non tamen a tota populi concione judicium petiere; quamquam enim civium turba in duas partes divisa erat, aliique uni, alli alteri favebant.

Λαοὶ δ' ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον, ἀμφὶς ἀρωγοί [6],

1. *Il.*, XVIII, 497.
2. *Il.*, XI, 807-808.
3. *Od.*, XII, 439-440, ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη κρίνων νείκεα πολλὰ...
4. ..... ἔνθα δὲ νεῖκος
ὠρώρει· δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
ἀνδρὸς ἀποφθιμένου· ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι,
δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι (*Il.*, XVIII, 497-500).
5. *Il.*, XVIII, 501.
6. *Il.*, XVIII, 502.

tamen non aliter ac clamoribus populus causæ interesse videtur. Quinetiam illum præcones procul summovent a loco ubi sedebant judices,

κήρυκες δ' ἄρα λαὸν ἐρήτυον [1],

Quanquam existimavere quidam illos populi clamores majoris momenti reipsa esse quam primum credas. Litigatorum enim utrique nonnulli socii adsunt qui illius, quasi adjutores, causam defendunt « ἀμφὶς ἀρωγοί ». Ii autem quid auxilii litigatori afferre possunt, nisi asserendo aut forte jurando? Idem igitur agunt quod « conjuratores » illi qui, medio incipiente ævo, litigatorum jurajuranda confirmabant [2]. Infra de illis « conjuratoribus » tractabimus qui forte jam eodem tempore quo arbitri existebant; tunc litigatores a « conjuratoribus » auxilium petiisse probabile est. Non vero illo *Iliadis* loco ad hanc sententiam sum adductus; namque, ut hoc verbo « ἀρωγούς », adjutores significari non infitias imus, ita hoc animadvertendum esse censemus solum, priusquam litigatores in arbitrium venirent, ab iis agi; nusquam autem videmus eos ab arbitris, ut litigatorum verbo firmarent, vocari. Hos igitur puto cives otiosos esse qui, quum in Foro ambularent, libenter in disputationem sese insinuaverint; mox autem a præconibus procul a tribunali sint prohibiti. Nam medio in Foro sacratus orbis circumscribebatur, lapidibus nitidis conspersus..., ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις, ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ [3]. Hic cives ab Homero « γέροντες » appellati sedebant; quibus litigatores litem suam componendam tradebant.

Qui fuerint illi « γέροντες », si multa Homeri loca adeas, certum est. Hoc enim nomine designari solent qui ab Agamem

1. *Il.*, XVIII, 503.

2. Robiou, *Antiq. homer.*, III, p. 100 : « Des deux côtés se trouvaient des auxiliaires » ; — Gilbert (*op. cit.*, p. 469, nota 1) : « Können die letzteren Eideshelfer sein » ; — Schœman, *Antiq. gr.* (trad. Galuski), p. 35 : « Les plaideurs ne s'adressent pas uniquement aux anciens, mais à tous les assistants qui ne craignent pas de se prononcer par des signes bruyants en faveur de l'une ou de l'autre partie, d'où leur vient leur nom d'ἀρωγοί, auxiliaires. Cet usage rappelle les garants du serment dans l'ancien droit germanique avec la différence que les ἀρωγοί de l'époque d'Homère n'encourent pas de responsabilité et que leur intervention n'est soumise à aucune forme régulière. »

3. *Il.*, XVIII, 504.

none in concilium vocabantur ; inter quos sæpe juvenes quoque simul accipiebantur [1]. Concilium vero quod « βουλή », vel « senatus » appellabatur, ex civitatis optimatibus tunc constabat. Sic Diomedes, quum apud concilium se esse adolescentem excusat, a patre clarissimo se ortum esse jactat [2], quasi gentis nobilitate ejus adolescentia pensetur. Achæorum enim primores ad conventus illos vocabantur qui in Agamemnonis tabernaculo sedere solebant. Ibi postquam magna regis impensa amplissimas epulas celebraverant [3], de reipublicæ statu apud regem sententias aperiebant. Qui non ultro, teste Homero, sed tantum si illos congregare regi visum erat, in concilium conveniebant [4]. Hic optimatum conventus « βουλή » quod verbum in « senatum » verti solet, appellabatur [5]; nec senatoribus tanta potestas erat quanta postea et præsertim eo tempore quum *Odyssea* condita est.

Simul ac enim regum decrescebat, senatus auctoritas exsurgere incepit, quanquam senatores apud regem de republica tractanda convenire non desierunt. Quinetiam interdum ab Homero βασιλῆος δαιτυμόνες, « regis convivæ » appellantur [6], quum quotidie ad ædes regias convenirent, cum rege magnas epulas acturi. Multum vero abest ut hæc prandia illis quæ in *Iliade* describantur similia sint. Illic enim, regis sumptu, cibi senatoribus offerebantur; hic de uniuscujusque opibus convivium solvebatur primumque communes illas « δαῖτας » quæ postea in multis civitatibus floruerunt deprehendimus. Sic Ulysses, quum in ædes Alcinoï intrat, cathedras adspicit in quibus Phæacum duces sedere solebant, pota-

1. *Il.*, II, 404-409 ; X, 299-302 ; XIII, 726-729 ; XIV, 111-112 ; XXIV, 650-652.

2. *Il.*, XIV, 113-114. Πατρὸς δ' ἐξ ἀγαθοῦ καὶ ἐγὼ γένος εὔχομαι...

3. Hoc ex quibusdam *Iliadis* locis patet. Sic Agamemno quum Idomeneum alloquitur a se regem huic magnes honores accipere solere ait,

> ἠδ' ἐν δαίθ', ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον
> Ἀργείων οἱ ἄριστοι ἐνὶ κρητῆρσι κέρωνται (*Il.*, IV, 259-260).

Idem ad Ulyssem Menestheumque :

> Πρώτω γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο,
> ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζομεν Ἀχαίοις (*Il.*, IV, 343-344).

4. *Il.*, II, 404-409 ; X, 17-18, 34-35, 137-176, 194-197 ; XIV, 22-55 ; X, 300-302 ; XIII, 740-744, etc.

5. *Il.*, II, 53-55.

6. *Od.*, IV, 621 ; XV, 467.

tionibus aut conviviis sæpius indulgentes [1]. Quos Alcinoüs quum alloquitur, iis quidem dari profitetur ut semper in regiis ædibus vinum senatoribus dignum bibant poetarumque carmina audiant [2]. Atque Eumæus subulcus, quum se regis filium esse et a Phœnissa quadam ancilla raptum fuisse narrat, cœnaculum commemorat ubi patris sui convivæ epularentur; quos non alios ac senatores esse liquet [3]. Denique quum Telemachus Menelaï ædem adiret, regis convivæ, epulas, ut erat mos, petentes, cibos ac pabula pro se quisque ferebant ad commune prandium; sic ab aliis oves, ab aliis vinum aut panis præbebantur [4]. Quum autem de vetusta consuetudine senatores decessissent, ideo magis a regia auctoritate liberiores facti erant; nec tantum si quid insoliti forte evenerat, sed quotidie et ultro ad regem coïbant. Duodecim illi Scheriæ duces qui ab Homero « βασιλεῖς », reges appellantur, fere cum Alcinoo de potestate contendebant. Nam postquam Ulysses se Aretes ad pedes provolvit, Echeneus senex Alcinoum acerbis verbis increpat quod peregrinum aliquem humi in cineribus procumbere patiatur [5]. Atque quum Ulysses quæ sibi acciderint narravit, omnes duces preces ejus exaudire decernunt regique (πάντες ἐπῄνεον ἠδὲ κέλευον) ut hospiti copiam in patriam redeundi suppeditet imperant [6]. Hoc autem maxime est animadvertendum non, ut in conciliis quæ in *Iliade* sunt regis jussa senatores exsequi, sed potius de negotiis publicis inter sese consulere ac, priusquam regi etiam sententiam proferre liceret, statuere. Neque regi ulla alia cura videtur fuisse, nisi ut senatus mandata perficeret. Nam quum non jam regi, sed toti populo freti essent, non jam ut regis consilium, sed ut populi apparebant [7].

1. *Od.*, VII, 95-99. 136-170; VIII, 421-422.

ὅσσοι ἐνὶ μεγάροισιν γερούσιον αἴθοπα οἶνον
αἰεὶ πίνετ' ἐμοῖσιν, ἀκουάζεσθε δ' ἀοιδοῦ

2. *Od.*, XIII, 8-9.
3. *Od.*, XV, 467-468.
4. *Od.*, IV, 621-624.
5. *Od.*, VII, 155-160.
6. *Od.*, VII, 226-227.
7. Inter eos qui hunc locum explanare tentaverunt, diversæ de his senatoribus sententiæ fuerunt. Schœman enim (*op. cit.*, p. 34) dubitat utrum a liti-

Quid ex illis testimoniis intelligi potest, nisi tunc in civitatibus optimatum conventus quosdam fuisse qui senatus, γερουσίαι vel βουλαί appellarentur? Quum autem senatores, vel οἱ γέροντες, de quibus in Achillis Scuto mentio est maximam in republica adepti erant auctoritatem, adeo ut jam regibus fere pares essent, profecto non miraris quod iis, qui quasi civitatis fastigium obtinentes colebantur, discordiarum componendarum munus committebatur. Quo modo autem ab iis lites tractarentur nunc exquirendum est.

Primum litigatores ipsos causam apud judices explicare esse solitos ex postero publicorum judiciorum usu intelligi potest. Deinde senatores vicissim exsurgentes a præconibus sceptrum accipiebant, quod in eorum manu quasi venerabilioris auctoritatis signum esset. Quo ritu peracto, de lite sententiam proferebant, scilicet quid æquum esse censerent, aperiebant :

> Σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χερσ' ἔχον ἠεροφώνων
> τοῖσιν ἔπειτ' ἤισσον, ἀμοιβηδὸν δὲ δίκαζον [1].

Illud autem est magni momenti ad publicorum judiciorum rationem illustrandam, quippe quum ita appareat, non omnium consensione et postquam inter sese omnes de causa consuluissent, sed segregatim et uniuscujusque arbitrio litem a senatoribus judicatam esse. Itaque non tanta auctoritas inerat illis judiciis, ut communi consensu et quasi civitatis nomine emissa esse viderentur. Quum singuli ex sententia sua litem judicarent, fieri poterat ut tot sententiæ quot judices essent. Cujusnam porro auctoritas ceterorum sententiis

gatoribus an a rege senatores, qui causas judicandi curam suscipiebant, electi essent? Non recte, nam profecto, nostra quidem sententia, ultro litigatores ad senatores vocabant, ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι. — Cui sententiæ nostræ contradicit Gilbert (*op. cit.*, p. 458) : « Selbstverständlich konnte sich der Kœnig bei seiner schiedsrichterlichen Entscheidung auch durch die Geronten berathen lassen. » — Nonnulli autem ex quibus Thonisseu (*op. cit.*, p. 26) et Robiou (p. 100) hoc aliter confirmare conantur, scilicet sceptrum, ut regiæ auctoritatis signum, ad senatores a præconibus tradi. Quis vero non intelligat, dummodo civitatum statum, qualis tunc fuerit, recordetur, senatores, dum sceptrum usurpant, in regis potestatem succedere cœpisse potius quam ex illo munus accepisse. Nullo igitur testimonio asserere possis reges in illis arbitrorum conciliis præcipuas partes obtinuisse.

1. *Il.*, XVIII, 506-507.

præstaret indagandum est et quidem ex duobus illius loci ultimis versibus invenias :

> Κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα
> τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι [1],

Quos in hunc modum in latinum vertas :

> « Posita erant in medio foro duo aurea talenta,
> « Ei tribuenda qui inter illos jus rectissime dixisset. »

De quibus verbis interpretandis multum certatum est. Nam ut aliquem inter doctissimos eligamus, in « Antiqui juris publici Græcorum » libello [2] aut in eo qui *Griechische Alterthümer* inscribitur [3] Schœman duo illa talenta litigatori qui causam vicisset, tribui existimat. Eadem interpretatio allata est a Fanta in libro *der Staat in der Ilias und Odyssee* [4]. Hic porro non tantum quo duo illa talenta pertinerent, sed (ea quidem est quasi stirps hujus quæstionis), a quo judice pecunia illa alterutri litigatorum decerneretur, quæsivit.

Ut vero inceptum suum teneret, ille, nostra quidem sententia, callidius ad suam doctrinam Homeri versus incurvavit. Unum enim ceteris judicibus facit præesse eumque illum « ἵστορα » esse a quo litigatores sententiam petiere [5], hunc autem postquam judices pro se quisque sententiam aperuerint, summa auctoritate nec ullius arbitrio obstante de causa judicare et litigatorum uter hæc duo talenta accipiat statuere. Quodsi nobis huic opinioni indulgere placuerit, necesse est multo aliter judiciorum horum rationem intelligere [6]. Scili-

1. *Il.*, XVIII.
2. P. 72.
3. Traduct. franç., p. 34.
4. Innsbrück, 1882. Idem opinantur et Thonissen (*op. cit.*, p. 27) : « Devant eux sont deux talents d'or destinés à celui qui aura le mieux prouvé la justice de sa cause », et Robiou (*op. cit.*, p. 100) : « Deux talents d'or étaient déposés entre eux et devaient échoir à qui aurait prouvé la justice de sa cause. »
5. *Il.*, XVIII, 501.
6. Robiou, p. 100 : « Tous deux demandaient avec insistance à terminer leur différend devant un enquêteur. » Schœmann autem τὸν ἵστορα testem fuisse significat qui, dum asserit, litem solvere potest (*op. cit.*, p. 35). — At Gilbert (*op. cit.*, pp. 458-459), ut Fanta, τῷ ἵστορι summam fuisse in ceteros arbitros auctoritatem putat, adeo ut ille forsitan rex ipse fuerit. « Die Entscheidung darüber hat der ἵστωρ, in diesem Falle der Koenig, welcher wie es

cet judicum concilium a præside assessoribusque esse constitutum ei videtur, quorum unius sententia ceteris præstaret. Affirmat idem litigatores, quidquid illi arbitrati essent, respuere non posse; nihil igitur differre illa judicia videntur ab iis quæ recentioribus temporibus facta sunt [1].

Sed, ut illam explanationem conderet, interpres noster paululum vocabuli cujusdam sensum distorquere coactus est. Nam « πεῖραρ ἑλέσθαι » quod ad verbum « finem facere » significat, « pignus tradere » esse finxit. Sic judicium quasi circum pignora pugnam auctori habetur, unde is cujus causa melior existimata esset, victor evaderet. At huic explanationi annuere nequeas quum undique et apud omnes scriptores πεῖραρ « finis », nusquam vero « pignus » valere constet. Quodsi novam illam personam quæ sub titulo arbitri, « ἵστορος » quasi oblique in judicio inseritur, quæ fuerit, exquisiverimus, illam omnino ab interprete nostro fictam esse intelligemus. Nam illum ἵστορα de quo agitur, Homeri versu cum argumento nostro congruente, nullum alium nisi unum e senatoribus qui vicissim sententiam pronuntiarent fuisse censemus. Nusquam vero poeta aliquem contentioni præsidentem inducit qui ab aliis judicibus segregaretur, nusquam hunc nobis præbet, sententiam summa potestate seorsum a judicibus proferentem; nusquam denique ejus poematorum invenias hæc duo talenta litigatorum uni traditos fuisse.

Quanto planius ac dilucidius quæ fuerint priscæ illæ consuetudines intelligemus, si omnino verbis qualia sunt credas, nec quidquam vel sollertius adjicere audeas! Scilicet postquam litigatores arbitrum qui litem inter sese componeret, eligere decreverunt atque hujus eligendi causa ad senatorum concilium confugerunt, tum senatorum unusquisque

überhaupt im Gerontenrath üblich war, demjenigen Geronte zustinunt, ὅς κεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ » (*Il.*, IX, 74-75). In Achillis Scuto ullam regis mentionem fieri non satis manifestum est.

1. Cum hoc proposito non repugnat Thonissen qui senatores non ut *arbitros*, sed ut *judices* causam tractavisse asserit : « Pourquoi aurait-on imposé à de simples conciliateurs, à des intermédiaires dépourvus de toute autorité effective, l'obligation d'entendre les témoins et les plaideurs en présence du peuple, de délibérer et de juger sur la place publique? L'éclat de cette publicité sans limites serait allé à l'encontre du but poursuivi par les parties intéressées » (*op. cit.*, p. 24).

vicibus alternis de causa quid sentiat dicit; litigatores autem ejus sententiam qui optime de lite, δίκην ἰθύντατα, arbitratus esset, approbant. Qui iis arbiter et judex fuit. Sic igitur de illis talentis quæ in medio posita fuerant rationem reddere possumus. Tunc primum illas impensas deprehendimus quas postea litigatores subire assueverunt, quum ei judicum qui optime litem diremisset tribuerentur,

τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι [1].

In summa quum litigatores senatoribus litem tractandam committebant, illis licebat arbitrio indulgere a quo optimam discriminis solutionem suppeditari credebant [2]. Priusquam res a judicibus indagata erat, singula talenta ab utraque parte afferebantur, ut is, qui earum discordias placare valuisset, curæ suæ pretium auferret. Ceterum cum illa explanatione locus aliquis fabulæ cujusdam quæ in « Hymnis homericis » tradita est, congruit; nam priusquam Mercurius et Apollo inter se disputantes, judicium a Jove acciperent, talenta, ut mos erat, solvere non dedignati sunt [3],

1. Jure Gilbert animadvertit hæc duo talenta non « τῇ παρακαταβολῇ », ut Schœman asseruit, similia esse (Schœman, *op. cit.*, p. 35), sed potius « τῇ παραστάσει » quam litigatorum uterque « τῷ διαιτητῇ », postquam de lite arbitratus erat, Athenis solvebant (Gilbert, p. 459, nota 1, ex Polluce VIII, 39, 127). — *Id.*, d'Arbois de Jubainv. : « Ce sont les épices du juge rapporteur dont ici les honoraires et la fonction se confondent avec ceux du moderne avocat gagnant. » Confer Tarde (*Transformation du droit*, p. 36) : « Convenons volontiers que, dans beaucoup de procédures primitives, même dans celle d'Athènes, comme dans l'Actio sacramenti des vieux Quirites, on retrouve le dépôt obligatoire d'une somme d'argent pour les plaideurs, préalablement à toute autre formalité, pour assurer le paiement des frais de justice. Il est fâcheux d'avoir à constater que, dès sa plus haute origine, la justice apparaît comme une chose essentiellement coûteuse. »

2. D'Arb. de Jubainville (*op. cit.*, p. 155) finxit illum qui « δίκην ἰθύντατα εἴποι » fuisse eum cujus sententiæ ceteri arbitri uno consensu assentirent : « Ils appartiendront à celui des juges ou, plus exactement, des arbitres qui aura proposé pour le procès la solution à laquelle ses collègues se rallieront. » Quæ conjectura nequaquam cum judicandi modo congruere nobis videtur, ἀμοιβηδὸν δὲ δίκαζον, « segregatim, quid esse jus sentirent, hi dicebant ». Simplicius enim in Græcia arbitria tractabantur quam in Hibernia per medium ævum, neque temporibus homericis aliquem putamus exstitisse qui illi « brehon » vel judici esset similis cujus relatione rex et populus sententiam pronuntiarent.

3. *Hymni Homerici*, in Mercurium, 324.

κεῖθι γὰρ ἀμφοτέροισι δίκης κατέκειτο τάλαντα.

Unde nunquam homines gratis judicia exercuisse apparet, et magis quoque si, ad hæc confirmanda, quoüsque res illo tempore apud Bæotios provecta sit, Hesiodo teste, inspexeris. Qui quum paulo ante primam Olympiadem vitam ageret [1], non semel illos « reges » acerbis verbis increpavit qui, ut in Scheria, civitati suæ præerant curamque in causis arbitrandi agebant. Ii enim, si Hesiodo credas, ultro litigatores ad se vocabant, « οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσαι » [2]. Hoc vero maximo iis crimini vertit Hesiodus quod quasi δωροφάγοι essent, scilicet litigatorum bona pro sententia vorare assuevissent [3]. Quis non videat sic hanc interpretationem, quam de duobus talentis homericis proposuimus, confirmari. Nam arbitri ita demum causas tractandas suscipere volebant si multo auro opibusve satiarentur. Sic pote erat a litigatoribus, dum alter super alterum quasi licitatur, arbitrum allici atque ita justitiam lædi : ac fert Hesiodus reipsa arbitros litigatorum blanditiis sæpius quam Justitiæ indulgere solitos esse [4]. Quorum prævaricationes civibus omnibus plurimum nocere Hesiodus arbitratur,

. . . ὄφρ' ἀποτίσῃ
δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
ἄλλῃ παρκλίνωσι δίκας σκολιῶς ἐνέποντες [5].

Quare cives, qui sub optimatum arbitrio opprimuntur, lusciniæ illi similes esse videntur, quam Hesiodus ab accipitre quodam in sublime raptam fuisse fingit. Quam, quum fortunam insectaretur, sic accipiter allocutus est. « Quid quereris, o bona, quum te nunc in sua ditione habeat quisquam, qui tanto tibi præstet, quanto ego tibi, quamvis canendi artis peritissima sis ; nunc, si vellem, prandium mihi præberes, nisi aliud mihi placuisset. Vesanus vero qui cum

1. Croiset, *Litt. gr.*, I, p. 482 : « C'est donc en somme aux environs de l'an 800 que nous sommes amenés à circonscrire nos conjectures ».
2. *Opera et dies*, 39.
3. *Id.*, 38-39.
4. *Id.*, 38-39, 220-221.
5. *Id.*, 260-262.

potentiore quodam contendere audet, nam victus ad pessima redigetur [1]. » Ex hac fabula patet Justitiam, quum vix judicia condita essent, ab iis, teste Hesiodo, alienam fuisse. Persea enim fratrem qui litem illi inferre cupiebat, a litibus avertit [2], illumque insidiarum recordari jussit quibus « reges » plebem deprehendere studerent.

IV. — Quæ fuerit arbitrorum potestas.

Nunc autem quoüsque auctoritatis judices publico munere ornati pervenerint, intelligere possis. Primum commemorandum est, a litigatoribus arbitros omnino sua voluntate electos esse. Quibus tunc licebat aut de re compositionem ipsos facere posse, aut ultro aliquem eligere qui de causa eorum judicaret; non vero magis tunc quam antea publice in judicia compellebantur. Antequam enim duo homines ii qui in Achillis Scuto effinguntur ad senatores vocaverant, sponte sua et nullius auctoritate coacti, de aliqua nece componere conati erant [3], solum de pecunia, an recte soluta sit quærunt. Atque Arete regina, quum, propter sapientiam, ut lites compararet, orabatur, tantum eorum, in quos bene erat animata, causas solebat judicare, οἷσι τ' εὖ φρονέῃσι καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει [4]. Non solum igitur non in arbitrium suum illa cives cogebat, sed etiam paucis et his quidem qui apud eam in gratia erant, causas tractabat. Nec quisquam in *Hymnis homericis* Mercurium et Apollinem, quum de bobus disputarent, ad arbitratum redegit, sed ipsi ultro ad Jovem recurrerunt, a quo de furto compositionem acciperent.

Deinde, quum arbitri a litigatoribus electi, sententiam aperuerant, litigatores credo equidem hanc sententiam aut accipere, aut, si displicebat, abnuere, et consilium mutare poterant; arbitros tamen sane litigatores sententiis suis obligare

1. *Opera et dies*, 200-212.
2. *Id.*, 27, 41.
3. *Il.*, XVIII, 498-499.
4. Εἰς Ἑρμῆν, 322-495.

paululum conatos esse, quamquam nullum est de hac re testimonium. Postea quidem Athenis arbitri fuerunt privati, quorum auctoritas litigatorum consensu constituebatur, atque ita, ut ii, arbitrio facto, obligarentur. Non vero semper ita rem sese habuisse manifestum est [1], quum ipsi arbitri publici, διαιτηταί, qui quotannis inter viros sexaginta annos natos sortiti erant non eo auctoritatis pervenissent, sed postquam ii sententiam de re aperuissent, ad judicium τῶν ἡλιαστῶν vocare litigatoribus liceret [2].

Quid autem miraris apud Græcos arbitrio tam debilem fuisse auctoritatem, quum apud gentes, quæ diu priscos mores retinuerint, eadem ratione actum sit. Ut inter multa nonnulla exempla eligamus, ex Armenia lege quæ millesimo trecentesimo anno post J.-C. prolata est, privatis injurias ipsis ulcisci licet, nisi arbitri electi fuerint qui solum partes ad componendum hortari valeant [3]. Etiam apud Ossetas qui Caucasum incolunt, priusquam tota regio sub ditione Russorum tenebatur, nullus erat consessus judicium qui lites dijudicaret, sed a litigatoribus arbitri eligebantur quorum sententiam accipere aut abnuere poterant; arbitri quidem, ne dijudicatio inanis evaderet, summa diligentia nitebantur eos promissis vel pignoribus acceptis cogere [4]. In Gallia autem druidis major erat auctoritas, quum Cæsare auctore, « fere de « omnibus controversiis publicis privatisque constituerent; « et si quod esset admissum facinus, si cædes facta, si de « hereditate, de finibus controversia esset, iidem decerne- « rent [5], » atque pœna quadam gravissima uterentur, quam omnes maxime horrerent : « Si quis aut privatus, aut publi-

1. Schœmann, *Griech. Alterthümer* (Galuski, p. 540).
2. Aristoteles, Ἀθην. πολιτ., LIII.
3. Dareste, *Études d'histoire du droit*, pp. 126-127.
4. Dareste, *Ét. d'hist. du droit*, p. 152 : « Le jugement ne pouvait être exécuté que volontairement et la partie mécontente pouvait reprendre la voie de la vengeance privée. Aussi les arbitres s'efforçaient-ils de lier à l'avance les parties, soit en exigeant le payement immédiat d'une partie du prix du sang, soit en demandant une caution ou un serment promissoire d'exécuter la sentence à rendre, soit enfin en forçant la partie à déposer son arme entre les mains des arbitres et à l'y laisser en gage jusqu'à l'exécution. »
5. Cæsar, VI, 13, 5. Conf. d'Arb. de Jub. (*Dr. celt.*, II, p. 156).

« cus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc « pœna est apud eorum gravissima [1]. » Nequaquam autem res apud Græcos homericos eo devenisse constat.

Quodsi ad eos redimus, hoc nobis haud parvi refert dicere τοὺς γέροντας apud Homerum non ut publicos, sed privatos judices electos esse ; nam nusquam vidimus cives ideo, quod ad illos vocare cogerentur, sed quia nemo alius in civitate amplior ac venerabilior existeret, ad senatores a quibus jus rectius acciperent, causas suas detulisse. Sic, ut alia verba usurpemus, quia senatores munere quodam publico fungebantur et non quod eorum sententiis major vis esset, ab iis arbitrium, potius quam ab aliis, cives petere malebant. Unde patet tunc nulli civium consilio eam præsto fuisse potestatem qua judicium suum alicui imponere possent. Nam tanta erat familiarum singularum in civitate potentia, ut non solum sua quæque negotia ipsa ac seorsum tractaret, sed etiam si ad publicam auctoritatem vocaret, semper, judicio abnuto, suam libertatem recipere posset. Ergo non publica judicum concilia, judices autem publici exstiterunt.

Attamen si in memoriam revocaveris quam sæva bella inter privatos de propinquorum ultione antea fuissent, jam ad tranquilliorem firmioremque statum res pervenisse intelligas. Quamvis enim in familiis situm esset, an ad publicos judices vocarent, tamen vel potius ideo bella privata paulatim exstincta sunt, quum cives ne in pugnam veniretur, cuilibet controversias deferre mallent. Itaque jam ex illis priscis temporibus, et quamquam publica judicia nondum existebant, qualia in postero futura sint concipi potest. Quæcumque enim causa a judicibus vel de nece aut furto, tractabatur, actionem quam « civilem » dicimus intentam esse, animadvertere operæ pretium est. Si quis facinus perpetraverat, eum non magistratus insequebantur, sed familia ipsa ad compositionem adducere tentabat. Neque hoc tempore magis quam postea ab uno judice sententia, sed libentius a multis expetebatur. Jam in Foro plerumque de litibus actum erat, populusque sæpe litigatorum alterutrum sequebatur. Denique, quod in postero maxime crevit, judices officium

1. Cæsar VI, 13, 5.

suum non gratis exercebant, sed a partibus pecuniam, si componendi rationem præstiterant, accipiebant. Quid vero abfuit ut illi judices publica judicum consilia evaderent? Nihil nisi quod (et id permagnum) cives judicum sententiis non obligati erant. Atqui dum civitates augentur brevi ad id Græci pervenere, ut judicia publica instituerent.

CAPUT V

DE JUDICIORUM PUBLICORUM EXORDIIS

1. Quid Græci anno fere sexcentesimo de cæde sentirent. — 2. Quæ de primis judiciis fabulæ fuerint. — 3. Quo tempore primum judices publici viguerint. — 4. Qui fuerint primum judices. — 5. Draconis de nece leges. — 6. Quo munere familiæ apud judices fungerentur. — 7. « Δίκη » et « γραφή » discernuntur.

Nobis quidem quærentibus qua ratione litigatores judicum sententiis sensim obligati fuerint, non dubium est quin ad illum exitum duæ causæ maxime valuerint. Principio enim, quum tempora prospera essent, brevi evenit ut cives vinculis strictioribus inter sese conjungerent. Jam magis atque magis istiusmodi bella quæ inter privatos exoriebantur omnibus sæviora ac turbulentiora visa sunt. Mox nova hæc sententia in mentes sese insinuavit : civitati scilicet, ut esset bene morata, semper ad omnium civium concordiam spectandam esse. Quam concordiam Græci postea εὐρυθμίαν appellaverunt ; sed privatorum discordias, ne pax illa sæpenumero perturbaretur, reprimere vel placare necesse erat. Itaque omnibus visum est reipublicæ interesse nonnullos cives publico judicum officio ornatos, omnem litem componere simulque litigatores eorum judiciis, omni modo, etiam vi, subjici.

I. — Quid Græci anno ferre sexcentesimo de cæde sentirent.

Deinde simul atque omnes publica judicia constituere ubique conabantur ratio altera cum illorum studio conspi-

ravit. Priscis enim temporibus parentum vel cognatorum ultio a diis ipsis præscribi credebatur (neque unquam de illa sententia homines decessisse constat). Hoc vero novum maxime recentioribus ætatibus apparet, non tantum civis mortui propinquos sed etiam totam civitatem ex unius cæde luctum detrimentumque accipere. Ideo nex cujuslibet nefanda ac diis invisa habita est quod, unius vita ex universo resecta, omnis rerum natura inverteretur.

Unde mos apud Græcos recens adolevit, si quis quem, vel invitus, interfecisset, sacrificiis atque aqua et igne eum interdici, donec piaculum adhibendo labe sese purgavisset. Nunquam temporibus homericis Græcos ita egisse jure animadvertit Gilbert [1], quum Theoclymenes, cognati interfector, minime se lustrari oportere existimet, sed, ut ipse significat, modo ut parentum iram vitet, ad Telemachum confugiat [2]. Non multo post mutata est Græcis sententia, quum jam in Cyclorum duobus fragmentis de piaculo, septingentesimo anno ante Christum natum, mentio fiat. Achilles enim, postquam Thersiten, qui eum lingua persequebatur occidit, Lesbon petiit ibique hostias Dianæ et Apollini mactavit, et ab Ulysse cæde lustratus est [3]. Aut Cephalus, qui conjugem invitus interfecerat, Thebanos, ut se lustrarent, oravit ; cujus rei pro mercede a regione vulpem immanem expulit [4]. Theseus quoque quum nefandos latrones vita orbavisset, priusquam Athenas intravit, a Phytalidis rite lustratus est [5]. Memoria denique ab Herodoto proditum est quemdam Adrastum nomine qui propter necem patriam liquerat a Crœso idem auxilium petiisse [6]. Hoc enim omnium mentes subiit nullam esse cædem, etiamsi ulciscendi causa perpetraretur [7], quæ excusari posset.

Sic discrimen quod a principio nullo modo exstitisse constat, inter civiles et capitales causas a civitate facta erat.

1. Gilbert (*op. cit.*, pp. 504-505).
2. *Od.*, XV, 220, 508 ; XVII, 71, 350.
3. Arctinus, *Æthiopis*, *Cyc. frag.*, Didot, p. 583.
4. Id., *Epigoni*, p. 589.
5. Plutarchus, *Theseus*, 12.
6. Herodotus, I, 35.
7. Exempli causa, fabula est quæ de Ulysse ab Aristotele refertur (vide ad p. 61).

Hinc cives, de quorum opibus agebatur, ipsi aut inter sese secundumve cujuslibet arbitrium pactionem faciebant aut ad judicum publicorum sententiam vocabant. Illinc si qua cædes perpetrata erat, non eam inultam civitas relinquebat, sed, si propinqui deerant, aliquem eligebat qui interfectorem coram publicis judicibus insectaretur. Actiones enim illas quæ nunc « capitis » atque « civiles » appellatæ sunt a principio sejunctas esse constat.

II. — Quæ de primis judicibus fabulæ fuerint.

Quam operosa ac multis incommodis impedita fuerit illa priscorum morum mutatio vix intelligimus. Antequam enim patresfamilias iidem illi qui ad arbitrium suum et semetipsos et familiam suam totam regerent, summam civitatis potestatem æquo animo ferrent, multis certe ac sævissimus seditionibus civitates perturbatæ sunt. Paulatim tamen cives de prisca sua libertate decesserunt, posteaque Græci illud jus publicum institutum esse adeo mirati sunt, ut hoc ex diis ipsis in fabulis narrarent emanavisse.

Athenienses enim gloriabantur quod primum bellis privatis terminum posuissent atque consilia, quibus jura omnium servarentur, creavissent. Primi omnium, ut ait Thucydides, Athenienses armis quotidie uti desierunt et in molliorem vitæ rationem venerunt [1]; Isocratesque in *Panegyrico* Athenienses collaudat quod primi leges ac rempublicam constituissent, « πρώτη γὰρ καὶ νόμους ἔθετο καὶ πολιτείαν κατεστήσατο ». Qua autem ratione hoc factum sit, in hunc modum monstrat : unumquemque ad magistratus, « τοὺς γὰρ ἐν ἀρχῇ » interfectorem vocare neque unquam discordias quæ inter privatos increbrescant, vi dirimunt [2]. Quæ res ideo etiam tam prospere successerat quod dii ipsi de cælo delapsi essent, fabulis si qua fides quæ de Areopagi senatus institutione, quæ primum ab Hellanico nobis traduntur, qui ad septimam et sexagesimam Olympiadem vitam agebat, DC anno ante

1. Thucydides, I, v.
2. Isocrates, *Panegyricus*, 40.

J.-C. Ferebatur scilicet, priusquam ad Areopagum Orestes vocavisset, ter illud consilium consedisse : primum Mars, postquam Halirrothio Neptuni filio, quem vim filiæ suæ adhibentem deprehenderat occiso, ut traditum est, pœna ab Areopago liberatus est [1]. Deinde quum Cephalus conjugem invitus occidisset, exsilio perpetuo mulctatus est. Dædalus denique, quia, invidia correptus, fratris sui filium ex Acropoli dejecerat, eadem pœna affectus est [2]. Jure autem Gilbert asserit in illis fabulis tria esse « παραδείγματα » omnium capitis causarum quæ postea judicatæ sunt; Mars enim φόνον δίκαιον, Cephalus autem ἀκούσιον, ac Dædalus ἑκούσιον edidit. Sed in posterum præclarior evasit ea fabula qua Areopagum a Minerva ipsa, ut de Orestis causa judicium proferretur, esse creatum. Quo ex judicio diuturna flagitia quæ mutua continuatione Atridarum stirpem fœdaverant, finem tandem habuerunt. Ut deæ ipsius verba usurpemus, judices posthac sederunt qui jurejurando obligati de cædibus judicarent :

Ἐπεὶ δὲ πρᾶγμα δεῦρ' ἐπέσκηψεν τόδε
φόνων δικαστὰς ὁρκίων αἱρουμένους
θεσμὸν τὸν εἰς ἅπαντ' ἐγὼ θήσω χρόνον [3].

Sic ab Areopago primum de capitali facinore judicium factum est,

πρώτας δίκας κρίνοντες αἵματος χυτοῦ [4].

Quod ad nos pertinet, famam illam apud Græcos exstitisse retinere par est, publica judicia sola deorum auctoritate firmari.

1. Hellanicus (ex Schol. Euripidis, *Orestes*, 1648, — ac Suida : Ἀρ· Παγ.), *Fr. hist. gr.*, I, pp. 54, 56. — Euripides. *Electra*, 1258-1263 : *Iphigenia Taurica*, 915-916. — Apollodorus. III, XIV, 2.

2. Hellanicus, *id.*, p. 456. — Pherekydes, *id.*, p. 90. — Pausanias, I, 21, 4-VII, 4, 5. — Diod., IV, 76.

3. Æschylus, *Euménides*. 482-484.

4. *Id.*, 682.

III. — Quo tempore primum judices publici viguerint.

Quo autem tempore publicis judicibus potestas tanta obtigerit, ut ad eorum arbitrium omnes cives adstringere liceret, exquirere magni momenti videtur. Nobis vero quæ fuerit illius priscæ consuetudinis ratio quærentibus, publica illa judicia nondum temporibus, quibus condita sint Homeri carmina, exstitisse vidimus. Etenim ab *Iliadis Odysseæ*que auctore vel auctoribus mores ii maxime alieni fuerunt, nam nondum civitas eo potentiæ pervenerat, ut litigatores strictis judiciis, quæ ii effugere nequirent, obligaret.

Septimo demum ante J. C. ineunte sæculo, judicia publica exstiterunt, quorum auctoritati parere cives vi cogerentur. Primum enim ejusmodi judicium dumtaxat, si testes historiarum scriptores adhibeas, apud Athenienses reperimus. Nobis ex quodam Aristotelis fragmento et Plutarchi loco traditum est trecentos inter optimates (ἀριστίνδην), quum de Cylonis ac sociorum nece ageretur, electos fuisse qui causam dijudicarent [1]. (Non multo post annum DCXL Cylon Athenarum arcem occupare tentavit.) [2] Quam mutabilis inconstansque etiam tunc ratio judiciorum fuerit, ex hoc intelligas quod sontum nonnulli jam, priusquam Cylonia cædes illa judicaretur. mortui erant. Nullum enim judicum consessum tunc fuisse nobis videtur quod de cædibus certa ratione cognosceret, sed inter optimates, ἀριστίνδην, judices nonnulli pro tempore eligebantur qui de reis sententiam ferrent. Athenis autem non ante septimi sæculi finem judicia stabiliora fuisse constat.

Quod cum communi consensu non esse omnino consentaneum equidem fateor, firmis vero argumentis probari posse affirmaverim. Nondum enim de Areopago dixi, quod ex fabulis fertur primum fuisse Athenis consilium a quo capitis causæ judicarentur. Quanquam jam institutus erat, nondum vero de capitis causis agebat. Fabulas enim quas primum

1. Aristoteles, Ἀθην. Πολιτ., 1 ; — Plutarchus. *Solo*, 12.
2. Eusebius, I, p. 198 (éd. Schœne).

Hellanicus de illius consilii origine tradidit, quinto demum ante J. C. sæculo pervulgatæ sunt. Hellanicus enim adhuc ad Olympiadem XCIII, quadringentesimo anno ante J. C. vivebat, quum jam diu facta esset a Solone illa legum mutatio qua Areopagi jura firmata sunt [1]. Unde apparet illas fabulas quæ Homerum fugerint non perantiquas posse haberi [2]. Deinde ex Aristotele, in Atheniensium republica, scimus Areopagum a principio, scilicet ante Draconem modo leges custodiendas accepisse, « τὴν μὲν τάξιν εἶχε τοῦ διατηρεῖν τοὺς νόμους », atque quæcumque permagna in republica evenirent tractavisse; ad hoc magni imperii fuisse compotem, adeo ut omnes qui legem violarent, πάντας τοὺς ἀκοσμοῦντας, publice reprimeret et mulcta damnaret, κολάζουσα καὶ ζημιοῦσα ...κυρίως. Non inde sequitur, nostra quidem sententia, ut tunc Areopagus capitis causas judicare cœpisset. Nam si eo jure, Cylonis tempore, usus esset, profecto mirari liceret consilium novum insuetumque tunc judicandi gratia constitutum esse reosque non ante Areopagum vocatos fuisse. Attamen jam ante illud tempus in « Sacro colle, ἀραίῳ πάγῳ » consilium, quod penes esset jus de nece arbitrandi, sedisse propius vero esse credimus, quum in omnibus fabulis, quæ ab Hellanico feruntur, arbitri potius quam judices eligantur, neque Mars, aut Cephalus, aut Dædalus, aut Orestes, in Areopagum vi esse vocati videantur. Itaque nequaquam Areopagum, priusquam Cylonium judicium fieret, rite de cædibus sicut postea cognovisse, sed tantum, ut senatum civitatis, curam legem servandarum et de litibus arbitrandi retinuisse.

Inde autem qualis fuerit prima Athenis judiciorum ratio perspicuum est. Hoc mirum omnibus esse videbatur quod Draco Areopagum capitis causis orbavisset, quas recentiori consilio « τοῖς ἐφέταις [3] », tribueret, Solo autem eum in pristinum restituisset [4]. Parvas enim mutationes in civitate a

1. Solonem archontem DXC fere anno ante J. C. natum fuisse constat.

2. Gilbert (*op. cit.*, p. 490) ac Willamovitz (Hermes, XVIII, 423-424) qui illas fabulas ad octavum sæculum ante J. C. fictas fuisse arbitrantur, ipsi agnoscunt nulla esse hujus rei testimonia. « Ein Beweis dafür wird nicht gegeben und ist auch nicht möglich. »

3. Plato, *Timæus*, 137; — Pollux, VIII, 125.

4. Pollux, VIII, 125; — Plutarchus, *Solo*, 19. Ut permutationis illius rationem redderet, Gilbert finxit Draconem τοὺς ἐφέτας ἀριστίνδην electos instituisse

Dracone factas esse constat, quum nihil aliud nisi et quæ antea Athenienses posteris memoria traderent, ut thesmoteta, conscripserit. Sin autem Areopagum minuisset, non solum mutatio, sed eversio fuisset. At, quum jam plerisque placeret judicia æqua de cædibus fieri, quinquaginta viros inter eupatridas, ἀριστίνδην, elegit qui certa quadam ratione sententias ferrent, velut jam in re Cylonia evenerat. Itaque sic primum judicum consilium Draconis tempore qui DCXX circiter anno ante J. C. Atheniensium leges conscripsit, constitutum est ut de omnibus injuriis cognosceret.

IV. — Qui fuerint primum judices.

Quodsi nunc intelligere nitimur qua ratione publica illa prisci ævi judicia tractata sint, ea nobis videntur a principio præcipue optimatibus qui tunc in omnibus civitatibus maxime pollebant, profuisse. Namque si Aristoteli credas, patresfamilias qui virtute vel divitiis, (ἀριστίνδην καὶ πλουτίνδην) cœteris praestabant, Athenis totam rempublicam in potestate ac dicione tenebant : qui agros, quæ temporibus illis præcipuæ divitiæ erant, possidebant. Ceterorum vero civium major pars illis inserviebat et, quum optimatum agros colendos suscepissent, dominis suis frugum fructuumque dextantem reddere debebant, « καὶ ἐκαλοῦντο πελάται καὶ ἑκτήμοροι [1] ». Non dubium est quin ex illis optimatibus judices omnes eligerentur, non solum Athenis sed fere in omnibus civitatibus. Nam sic in hymno, « ad Cererem » dicto, potestas optimatum, qui in Eleusine judicia publica exercebant, describitur :

ἠδ' ὀνομήνω
ἀνέρας, οἷσιν ἔπεστι μέγα κράτος ἐνθάδε τιμῆς,
δήμου τε προὔχουσιν, ἰδὲ κρήδεμνα πόληος
εἰρύαται βουλῇσι καὶ ἰθείῃσι δίκῃσιν [2].

quia jam Areopagitæ e magistratibus, qui non omnes erant optimates, eligebantur (*op. cit.*, pp. 498-499).

1. Aristot., *Athen. Resp.*, 2.
2. *Ad Cererem*, 149-152.

Paulatim vero, quanquam de hujus instituti initio testimonium nullum ab historicis accepimus, senatus civitatis cui jam civiles causæ judicandæ a litigatoribus sponte tradebantur, ut supra diximus [1], cognoscere de cædibus assuevit. Nam Areopagus qui, Draconis tempore, nondum, ut demonstravimus, eo auctoritatis pervenerat, post Solonem de cædibus quæ ultro perpetratæ erant, cognovit [2]. Sic apud Lacedæmonios senatus quoque de cædibus cognoscebat, reges vero ephorique lites civium placare solebant [3]. In omnibus igitur civitatibus evenit ut ex omnibus officiis quibus senatus fungerentur, hoc maximum fieret, facinora, quæcumque civitatis concordiam aut securitatem perturbarent, vindicare.

Itaque reges, quamvis auctoritas eorum minueretur, sæpe in consortium hujus muneris a senatoribus vocati sunt ; nec tamen hoc illis fuit magnum auctoritatis incrementum, quum non summa auctoritate, sed modo senatorum potestate innixi, jus dicerent. At non in omnibus civitatibus eadem ratio permansit. Vidimus Spartæ, exempli causa, senatoribus omnes capitis causas deferri solitas esse, regique tantum nonnullas de rebus gentiliciis aut sacris causas relinqui. Athenis vero, Dracone vivente, nullus erat rex, nisi archon qui quotannis hoc nomen accipiebat. Quem capitis causas dijudicasse constat, teste ipso Dracone qui eum jubet, postquam « οἱ ἐφέται » de lite cognoverint, sententiam proferre « [Δ]ικάζειν δὲ τοὺς βασιλέας αἰτιῶ[ν] φό[νου] ἢ [βουλεύσεως τοὺς ἀεὶ βασι]λεύοντας · τοὺς δὲ ἐφέτας διαγν[ῶναι] [4] ». Atque in posterum archontibus qui regis titulo ornabantur, illud jus permansit. Nam si Aristoteli credas, rex omnes causas dijudicabat, « διαδικάζει » quæ, vel ad gentes, vel ad sacra, vel ad cædes pertinebant. « Λαγχάνονται δὲ καὶ αἱ τοῦ φόνου δίκαι πᾶσαι πρὸς τοῦτον [5]. » Quodsi quis miretur quod reges tum

1. *Il.,* XVIII, 497-508.

2. Aristot., Ἀθην. Πολιτ., 8.

3. Aristot., *Politica*, III, 1, 7.

4. *C. I. A.*, I, 61. De regibus quorum Draco mentionem faciebat, multi dissenserunt. Gilbert enim solum de Archonte qui regis titulum usurpabat eum egisse credit (*op. cit.*, p. 489); Dareste, Haussoullier et Reinach autem non solum de illo sed etiam de tribuum regibus qui φυλοβασιλεῖς nominabantur. (*Rec. Inscript. jurid.*, II, pp. 12-13).

5. Aristot., Ἀθην. πολιτ., 57.

demum eo potestatis pervenissent, quum fere omnibus juribus in civitate paulatim orbarentur, hoc ex eodem Aristotelis loco intelligas. Nam quum senatus auctoritas adeo cresceret ut cives ejus judicia exsequi cogerentur, reges inde aliquid auctoritatis percepere. Omnia enim, quæcumque ad sacra pertinebant, erant in regum potestate. Itaque quum cædes pro sacrilegio haberetur quo interfector et tota civitas sese liberare deberent, hæc regibus erat cura. Sic, ut apud Aristotelem fertur, rex Athenis, vel priusquam de cæde cognosceretur, interfectori aqua et igne interdicebat, « καὶ ὁ προαγορεύων εἴργεσθαι τῶν νομίμων οὗτός ἐστιν [1] ». Deinde postquam de re judices cognoverant, regi quoque sententia erat proferenda, δικάζειν, tanquam civitatis nomine ac religionis causa pœnas a sontibus repetens. Ex hoc ipso patet regem illis temporibus, quamvis certam quamdam auctoritatem in judiciis adhiberet, non tamen præcipuas partes obtinuisse, quum, priusquam sententiam emitteret, jam a judicibus de re pœne decretum esset [2]. Ceterum nullam aliam ob causam hoc ipso munere reges donati sunt, nisi quod in capitis causis aliquid religiosi apparebat et omnia quæcumque ad civitatis sacra pertinebant regis esse videbantur.

At quum hæc judicia constituta sunt, maxime necesse fuit cives pignora acciperent ne judicibus diffiderent. Itaque judices, priusquam capitis causas dijudicarent, sese jurejurando obligare solebant. Quod ex fabulis aut historiarum testimoniis intelligimus; namque Minerva apud Æschylum, Areopagi senatu condito, judices semper jusjurandum præstare jussit,

> φόνων δικαστὰς ὁρκίων αἱρουμένους [3] ;

Sic judices electi qui Cylonis necem ulciscerentur, hostiis mactatis, hoc jusjurandum dedisse traduntur, « καθ' ἱερῶν ὀμόσαντες [4] ». Quibus ritibus peractis, sibi ad æquitatem

1. Aristot., *Athen. Resp.*, 57.
2. Hoc enim valere « διαγιγνώσκειν » Dareste, Reinach et Haussoullier (*Rec. Inscript. jurid.*, p. 13) consentinut.
3. Æschylus, *Eumenides,* 483.
4. Aristot., *Athen. Resp.*, 2.

coram diis obligati videbantur : quam fidem si fefellissent, fore credebant ut maxima detrimenta sibi impenderent.

V. — Draconis de nece leges.

Illa quidem fuerunt priscis temporibus publica judicia. Ex autem illis, quæ tunc nova erant, institutis, civitates profecto hunc fructum ceperunt, quod certioribus legibus quam antea gubernatæ sunt. Cujus permutationis leges quæ sub titulo Draconis inscribuntur, nobis testimonium certum præbent [1]. Hic consuetudines reperiri possunt quæ DCXXI circiter anno Athenis invaluerant. A quibus civitatem non magnas mutationes accepisse, sed potius, ut ita dicam, temperata esse jura vetera cum novis patet. Cædum enim Draco duo genera discernit. Nam sunt, ut ait, quæ excusationem e temporibus accipiant. Si quis, ut vim vi repellat mortemque vitet, ipse sicarium occidit, omni pœna liberatur. [Ἐὰν δέ τις φέροντα ἒ ἄγοντα βίας ἀδίκος εὐθὺς ἀμυν]όμενος κτ[είνει, νεποίνει τεθνάναι] [2]. Item si qui dumtaxat in ludis inviti sodales suos [3] ; aut insidiis latrones, aut adulteros apud uxorem, matrem, filiam concubinamve deprehensos occidebant, nulla in eos a civitate actio exercebatur [4], τούτων ἔνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα.

At præter hæc, interfectorem, etiamsi invitus cædem alicujus perfecerit, Draco exsilio afficit, « καὶ ἐάμμη 'κ προνο[ία]ς [κ]τ[είνῃ τίς τινα, φεύγειν] [5]. Ut nonnulli animadverterunt, nobis deest initium hujus tabulæ in quo forsitan de

1. De Draconis legibus vide *C. I. A.*, I, 61 ; — Gilbert (p. 485); *Rec. Inscript. jurid.*, II, xxi. Ut ex inscriptione ipsa patet, senatus populusque Atheniensium Draconis leges jussit iterum in hac tabula inscribi, anno CCCCIX ante J. C. Quamquam hæc tabula non omnino integra nobis pervenit, vestigia tamen habemus prioris tabulæ, (πρῶτος ἄξων) quæ a Dracone ipso prolata est (Dar., Rein., Haus., non de Solonis tabula agere ostendunt, p. 9).

2. *Rec. Inscr. jur.*, p. 4 (10) (Hoc restituit Kœhler ex Demosthene : *Adv. Aristocr.*, 60).

3. Animadvertendum est Homeri tempore illos casus, etiam pueris, crimini versos esse (*Il.*, XXIII, 85-88).

4. Demosth., *Adv. Aristocrat.*, 53.

5. *C. I. A.*, I, 61.

cæde ultro commissa, Draco egerit [1]. Quæ de illa cæde Draco decreverit, nobis a Demosthene traditum est [2] : « Ἐὰν ἐκ προνοίας κτείνῃ τις τινα, ἀποθανεῖν (ἢ φεύγειν καὶ τὰ ἐκείνου ἄτιμα εἶναι [3]. » Hæc enim maximi momenti esse arbitramur, quum Draco in hac re de antiquis moribus qui nimis feri essent, decesserit novamque legem instituerit. Primum enim discrimen inter cædes factum est, sive consulto, sive ab invitis perpetrata erant. Non quo Draco iis qui forte aliquem occiderint, ignoscat : exsilio enim ii mulctantur, sed non vero in perpetuum, nam si quando mortui parentes cum illo componere decreverunt, securus in patriam redit, pœnaque data, omnis cædis memoria deletur. Quinetiam, quum ei qui interfectus est nullus cognatus exstitit, decem φράτορες dummodo οἱ ἐφέται interfectorem inconsulto egisse prædicaverint, cum illo paciscendi curam suscipiunt [4]. Atque manifestum est hanc legem novam esse, quum Draco ipse significet ad eamdem rationem reos tractandos esse qui jam, antequam lex prolata esset, in exsilium fugissent. « [Καὶ οἱ πρό]τε[ρον κτέ]να[ντες ἐν τ]ο[ῖδε τοῖ θεσμοῖ ἐνεχέσθον] [5] ». Præterea exsules interfici Draco vetat, nam, ut censuit Kœhler ex Demosthene [6], sic tabula extrema restitui potest : « Ἐὰν δέ τις] τὸ[ν ἀνδροφόνον κτείνῃ ἢ αἴτιος ᾖ φόνου ἀπεχόμενον ἀγορᾶ]ς [ἐφ]ορί[α]ς [καὶ ἄθλων καὶ ἱερῶν Ἀμφικτιονικῶν, ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖ]ον [κτείναντα, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι]. » Sic non licet exsulem trucidare, nisi in Foro, aut inter Amphyctiones, aut in ludis publicis inveniatur. Jam si quis hanc legem violabat non alia ratione quam si Atheniensem occidisset, pœnas luebat. Quis non videat sic omnem ultionem vetari qua propinqui se in suos religionem servare crederent. Hoc denique non

1. Gilbert. p. 487.

2. *Adv. Midiam*, 43 ; — *Adv. Aristocratem*, 62.

3. Consulto autem legis initium hic deesse multi jure existimaverunt, quum lex a Dracone de voluntaria cæde lata, jam Solonis tempore non omnino vigeret. Quanquam enim, Aristotele teste, Solo Draconis leges de cæde servavit (*Athen. respub.*, 7) tamen, ut ostendimus, Areopago cædis voluntariæ causas tractandas commisit atque τοῖς ἐφέταις alias solum, de quibus in nostra tabula agitur reliquit (Gilb., p. 488, *Rec. Inscript. jur.*, p. 10).

4. *C. I. A.*, I, 61.

5. *Id.*

6. *Adv. Aristocrat.*, 37.

minime nostra referre censeo, Draconem etiam de servorum nece agere; nam ut nuper conjecerunt nonnulli, in extrema tabula legere possis : « [Καὶ κατὰ ταῦτα φόνου δίκας εἶναι δοῦλον κτείναντι] ἢ ἐλεύθε[ρ]ο[ν] [1] », in eadem judicia venire eos qui servos aut cives occiderint.

Tum igitur primum homines subit cogitatio trucidatores, etiamsi scelera, propinquos ulciscendi causa, perpetrarent, quasi fœdissima monstra habendos esse. Atque, ne propinquum quidem si propinqui vindicent, Draco cædem esse legitimam dicit. Quantum hæc mutata ab illis quæ apud Homerum vel Æschylum reperias : patrem scilicet, si trucidetur, magnum solatium ex eo capere, quod filium dilectum post se relinquat qui se ferro ac sanguine vindicet. Nunc autem ab ipsa civitate capitis causæ cognoscuntur judicesque, publica potestate instructi ex ea cives ejiciunt qui injurias vi ulcisci tentavere.

VI. — Quo munere familiæ apud judices fungerentur.

Quemadmodum autem Draconis leges ad novam agendi rationem pertinebant, ita multum abfuit ut Græci de iis quæ tam diu antea de cæde sensissent omnino et confestim decederent. Nam quanquam tunc civitatis munus erat in civium discordiis judicare et cædes quibus pax publica disturbaretur reprimere, saltem, si qua cædes erat perpetrata, nequaquam ejus familiæ, qui interfectus erat, re omnino sese abdicare licebat. Non ideo scilicet judicia publica instituta sunt, ne propinqui propinquos ulciscendos curarent, sed potius ut pro bello sæpius iniquo aut cujuslibet arbitrio fieret sententia, a judicibus accurate electis æquo animo dicta esset. Si quo exemplo res illustrari possit, de judiciis, quum quotidie civitatis potestas in privatos cresceret, sicut de sacris gentilibus factum est. Nam olim de sacris familiaribus liberum arbitrium patrifamilias relictum fuerat : postea, ne civitas privatorum impietate everteretur, regi aut magistratibus sacra

1. Hoc conjecerunt Dareste, Reinach et Haussoullier (*Rec. Inscript. jur.*, II, p. 8 [9]), ex Antiphonte, *De cæde Herodis*, 48.

privata custodienda tradita sunt. Sic judices publici religionem erga propinquos firmavere, nedum minuerent.

Quod enim Draconis leges propinquos ejus qui interfectus est vetant? Vetant arbitrio suo vel bellum incipere, vel ab interfectore pœnas exigere. Jubent contra aut interfectorem ipsum ejusque propinquos de cæde compositionis auctores esse, aut nulla condicione ab iis data, propinquos de pœnis exigendis agere. Neque enim Draco ejusque æquales justum esse existimaverunt pacta illa prohibere quæ, ut supra vidimus, jam ab antiquissimo tempore, erant usitata. Sed etiamtunc probabatur, si ab interfectore facinus pretium solvendo pensabatur, ab insectatione desistere. Tum reus, postquam ritibus peractis, cædem abluerat, sine ullo periculo in civitate manebat [1]. Hoc vero animadvertas velim Draconem, quum illam componendi facultatem servavisset, ei rationem quamdam descripsisse. Jam enim per Draconis leges non licuit de cæde componere, nisi mortui pater, aut frater, aut liberi hoc assentiebantur; uno enim abnuente, omne pactum repudiabatur et in judicium venire necesse erat. « Ἐὰν δὲ « αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ ἢ ἀδελφὸς ἢ υἱεῖς, πάντας ἢ τὸν « κωλύοντα κρατεῖν [2]. »

Quodsi nulla condicio inter partes convenire potuerat, tum competebat actio publica. Actiones autem capitis, quamvis jam a civilibus distinctæ essent, tamen hanc earum similitudinem etiamtum ferebant quod nemo erat qui ab interfectore pœnas publice persequeretur. Propinquorum enim munus erat interfectorem apud judices vocare; quod munus non modo legitima facultas, sed etiam officium erat, quod fugere nemini liceret. Quinimmo lege difinitum est quomodo oporteret a cognatis de cæde actionem intendi. Scilicet primum cædem in Foro pronuntiandam, ut omni civium commercio interfectori interdiceretur [3], quod apud Draconem his verbis « προειπεῖν τῷ κτείναντι » significatur. Etenim cæde ipsa, sive quis consulto, sive invitus eam perpetraverat, civitas fœdata

1. Demosthenes, *Adversus Pantainetum*, 58-59. Hanc compositionem quam apud Homerum, ποινήν Athenis vero τὰ ὑποφόνια nominatam esset constat (Stephanus, *Thes. lingua græcæ*, sub verbo ὑποφόνια.

2. Demosth., *Adv. Marcatat*. 57.

3. *C. I. A.*, I, 61.

esse videbatur. Demosthenes enim illius interdictionis verba servavit quæ non jure Draconi tribuuntur, perantiqua tamen esse videntur. Interfectori, ait, interdici necesse est « aqua « lustrali, libamentis, crateribus, sacris, foro », χερνίβων εἴργεσθαι τὸν ἀνδροφόνον σπόνδον, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς [1].

Solum vero a proximis mortui neccessitudinibus, usque ad sobrinos et consobrinos, ἔντος ἀνεψιότητος καὶ ἀνεψιοῦ [2], qui sint liberi, pater et frater, interfectori sic interdici posse constat. Quum autem in judicium iretur, tum non modo proximis, sed omnibus cognatis, scilicet sobrinis, consobrinisque, etiam leviris, generis socerisve jus esse ad interfectorem insectandum convenire, συνδιώκειν [3]. Ii autem non solum tanquam testes proximorum actionem firmare solebant, sed ipsi, quum ille, qui interfectus erat, nec patrem, nec fratrem, nec liberos reliquerat, apud judices actionem de cæde faciebant. Quemadmodum enim ab interfectore « pœnam » accipiebant, ita munus usurpabant, si nullum fœdus ictum erat, causæ apud judices tradendæ [4]. Neque solum proximis sed etiam iis qui muliebri affinitate adligabantur, ut leviris, soceris, generis illud erat officium.

Sic Draco non omnino temporis acti vestigia delevit, sed familiarum jura quæ antea existebant confirmavit [5]. Haud parum tamen abfuit ut antiqua cædes ulciscendi ratio integra permaneret, quum propinquorum obligatio nunc certos fines ceperit. Neque ut antea in totam interfectoris familiam, sed solum in sontem ipsum actio valebat [6]. Quondam vero omnes qui ejusdem gentis, « τοῦ γένους », erant, cædis ultionem persequi debebant ; nunc autem Draco familiam, « τὸν οἶκον »

1. Demost., *Adv. Leptin.*, 158. *Rec. Ins. jurid.*, p. 12 : « Il n'y a pas lieu de douter de l'antiquité de cette formule que Dracon n'a pas inscrite dans ses lois, probablement parce qu'elle était en usage avant lui : Démosthène la lui attribue, mais c'est une erreur d'attribution fréquente chez les orateurs. »

2. *C. I. A.*, I, 61.

3. *Id.*

4. *Rec. Ins. jur.*, II, p. 12.

5. Beauchet, *Droit privé de la Répub. athén.*, t. I, p. 5 : « Même après les réformes de Solon et celles plus radicales de Clisthène, quand on arriva à cette conception de l'État qui devait prévaloir dans les sociétés modernes, c'est-à-dire quand l'unité ne fut plus la famille, mais l'individu, on ne put rompre complètement avec le passé... »

6. Id., p. 14.

bifariam dividit, quorum alii vel in compositionem veniant, vel in Foro de facinore queruntur, alii apud judices cognatis auxilientur [1].

VII. — « Δίκη » ET « γραφή » DISCERNUNTUR.

Draco autem simul ac de capitis causis certas normas posuit, non alia delicta omisit quibus quis vim et injuriam adhibebat. Nam, ut sunt nonnulla testimonia, pœnarum magnitudine sontibus pavorem injecit [2]. Ut in Plutarcho fertur, capitis pœna omnibus sontibus edicta est. Nam quicumque vel otio, vel furto damnati erant, morte mulctabantur, ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν καὶ τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις [3]. Quod non mirari debeas, quum leges non minus atroces quam Draconis in aliis regionibus aut temporibus latæ sunt, ut optimatum agros possidentium potestas servaretur. Segnitie enim, τῇ ἀργίᾳ, significari arbitramur mores eorum qui, errabundi vivere soliti, bonis optimatum maxima damna afferrent. Furtum autem frugum semper apud populos agrestes ut gravissimum omnium scelerum habetur [4].

Sic, ut ita dicam, de omnibus injuriis quibus jura alicujus minuebantur, nunc judices, a civitate electi ac publica potestate præditi cognoscebant. Quanquam non adeo necesse esse videbatur injurias ulcisci, ut omnes in sontes intenderetur actio. Oportebat enim ab eo qui læsus erat reum apud judices vocari ; sin autem placebat omni actione abstinere, hoc ipso pœnæ eximebatur. Tunc enim omnis actio ea erat quæ « δίκη » postea vocata est, scilicet actio privata, quum nemo esset qui, civitatis utilitati consulens, publice omnem sontem

1. Jure d'Arb. de Jubainville (*Dr. celt.*, I, pp. 188-189) illam familiarum atticarum rationem cum moribus, quæ apud Hibernos medio ævo usitabantur, confert.

2. Aristot., *Polit.*, II, IX, 9.

3. Plutarchus, *Solo*, 17.

4. Confer leges illas quæ apud Britanniæ Saxones « de silvis » latæ sunt (Green, *Histoire du peuple anglais*, I, trad. Monod, p. 73). Etiam apud nos ante rerum eversionem, quæ anno MDCCLXXXIX evenit, famulus qui furti insimulabatur, capitis rite damnabatur.

apud judices vocaret. Solonis demum tempore, si Aristoteli credas, cuilibet permissum est de injuriis accusationem ferre, τὸ ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τιμωρεῖν ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων [1]. Sic nova apud Athenienses actio exstitit quæ γραφή appellabatur. Quod ex Plutarchi loco apparet qui, quæ fuerit illa mutatio, in hunc modum explanat : Καὶ γὰρ πληγέντος ἑτέρου καὶ βλαβέντος καὶ βιασθέντος ἐξῆν τῷ δυναμένῳ καὶ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἀδικοῦντα καὶ διώκειν [2]. Si quis damnum acceperat, quidquid ipse de injuriæ suæ pretio sentiebat, ei, quicumque poterat ac volebat, licebat actionem sonti apud judices intendere.

Tunc vere judicia publica exstant atque capitis causæ in duas partes distribuuntur : primum de nece si quis actionem intendebat, erat quasi δίκη, quam suscipere propinqui coacti sunt [3]; deinde omnis injuria, qua quilibet in re aut in familia lædebatur, γραφή, scilicet actio publica, quam apud judices publice persequi licebat cuilibet. Non autem *res publica* ante firmata est, quam cives quasi eadem sentirent ac dolerent sibique invicem auxiliarentur, « ὥσπερ ἑνὸς μέρους συναισθάνεσθαι καὶ συναλγεῖν ἀλλήλοις [4]. Ut Solo, ipse profitebatur, ea civitas pro bene morata habita est « in qua a latronibus non minus ii qui nullam injuriam accepissent quam ille, cui vis esset illata, pœnas repeterent [5]. » Tunc igitur omnes huic Aristotelis sententiæ consentiunt, justitiam esse rem civilem, jus enim, quæ cœtus civilis quasi norma sit, esse judicium justi. Ἡ δὲ δικαιοσύνη πολιτικόν · ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν · ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις [6].

1. Aristot., *Athen. Rep.*, 9.
2. Plut., *Solo*, 18.
3. In *Legibus* autem IX, 871 (Didot, p. 432), Plato, quanquam de nece legem Draconis, ut ita dicam, restituit, sinit quemlibet pro nece alicujus apud judices pœnam petere. Ceterum nequaquam vetari aliquem, etiamsi mortui propinquus non esset, actionem interfectori intendere, rarissime vero ita rem se habere Dareste, Haussoullier ac Reinach asserunt ex hoc exemplo quod in Demosthene (*Adversus Evergen et Mnesibulum*), inseritur. Ita patet, 68-71 veteres Græcos semper sensisse, si cædes committeretur, maxime parentum et non cujuslibet civis officium esse interfectorem persequi (*Rec. insc. jur. gr.*, II, p. 22, nota 2).
4. Plut., *Solo*, 18.
5. *Id.*
6. Aristot., *Politica*, I, I, 3.

CAPUT VI

QUA RATIONE LITES APUD JUDICES PRINCIPIO DIJUDICARENTUR QUÆQUE TEMPORIS ACTI VESTIGIA IN POSTERUM PERMANSERINT

1. De juribusjurandis. — 2. De « ordaliis ». — 3. An lites singulorum prœliis dirimerentur. — 4. Quæ fuerit Solonis ætate in judiciis nova testimoniorum ratio. — 5. Quæ temporis acti vestigia permanserint.

Qua vero ratione illis temporibus judicia emitterentur, intelligere arduum est, quum nullum monumentum nobis præsto sit quo sententia tum a judicibus lata præbeatur. Quanquam ex consuetudinibus nonnullis quæ longe usque in posterum tempus invaluerunt, conjecturam facere possis e quibus testimoniis judicia tractarentur. Quemadmodum enim, quum judicia publica bellis privatis successerunt, non tamen antiquum familiarum jus ulciscendi abolitum est, sed potius publice confirmatum, ita pristini judices quum de insimulatione quadam, verane esset, quærebant, ex antiquis moribus testimoniorum genus retinuerunt. Itaque non, ut postea, scripta in judiciis valebant, sed litigatores jurando vel cautionem afferendo, id quod contendebant, confirmare oportebat.

I. — De juribusjurandis.

Nam primum jusjurandum litigatoribus deferri solebat, ut qui quum per deos jurarent, illos, ut ita dicam, de causa sua testes citarent, seque sævissimis suppliciis, si pejerarent

obnoxios esse crederent [1]. Fert, exempli causa, Aristoteles ita a Cumæis actum esse ut si quis, dum accusat, cognatorum nonnullorum testimonia produxisset, reus, damnaretur, « ἂν πλῆθός τι παράσχηται μαρτύρων ὁ διώκων τὸν φόνον τῶν αὑτοῦ συγγενῶν, ἔνοχον εἶναι τῷ φόνῳ τὸν φεύγοντα [2]. » Ex nonnullis igitur testibus intelligas jusjurandum tanquam probationem in causis sæpe acceptum esse. Quem morem perantiquum fuisse, et postea stolidum et barbarum habitum esse, e quodam Æschyli loco apparet. Scilicet Eumenides, dum, Minerva in Areopago judicibus præsidente, Orestem accusant, alia Oresti crimini vertunt et hoc quod jusjurandum dare noluit,

Ἀλλ' ὅρκον οὐ δέξαιτ' ἄν, οὐ δοῦναι θέλει [3].

Quas dicit Æschylus prisca jura tueri et priscam consuetudinem. Tum Minerva jure illis respondet :

Ὅρκοις τὰ μὴ δίκαια μὴ νικᾶν λέγω [4],

non injuriam, etiamsi jurejurando nitatur, vincere debere.

Neque his temporibus alia fuit Græcis sententia ac multis gentibus quæ quondam existimavere augustius ac firmius jusjurandum esse, si a rei cognatis vel familiaribus præstaretur. Memoria enim proditum est tempore quo « Lex Salica » prolata sit, « conjuratorum » multorum jurajuranda pro testimonio certo haberi [5]. Quem morem apud multas gentes barbaras valuisse constat. Sic adhuc, apud incolas coloniæ nostræ, qui « Kabyles » nominantur, si una cum reo L conjuratores eum insontem esse jurant, ille a judicibus incolumis dimittitur [6]. Neque ad aliam rationem pristina apud Græcos judicia esse constituta patet ; nam si Aristotelis locum, cujus jam mentio facta est, referas, accusator apud Cumæos, ut insimulationem probaret, cognatos multos apud

1. De jurejurando vide caput III.
2. Aristot., *Politica*, II, v, 12.
3. Eschylus, *Eumenides*, 429.
4. Id., 432.
5. Fustel de Coulanges, *Monarchie franque*, p. 439.
6. Tarde, *Les transformations du droit*, p. 30.

judices vocabat qui sententiam suam juribusjurandis firmarent [1]. Quid, quod in nonnullis civitatibus hic mos etiam in posterum viguit? Tabula enim ænea reperta est ubi fœdus inscribitur, a duabus civitatibus ictum, Oianthæa et Chaleione, quæ apud Locros in Crissæi sinus littore jacebant, CCCCXXI anno ante J. C. [2]. Hoc autem fœdere, postquam pax et concordia inter eas civitates firmatæ sunt, convenit ut, si quam inter se utriusque urbis cives controversiam habeant, ii conjuratoribus, « ἐπωμόταις », utantur qui sunt numero xv, si de una mina aut plus agatur; sin autem minus, ix.

Jam eadem ratione apud Gortynios, D anno ante J. C., nonnullæ causæ tractabantur, quum marito, si quem in adulterio deprehendisset et in ditionem suam redegisset, ei se minime insidias paravisse, per conjuratores, ὠμωμότας, demonstrare liceret [3]. Præterea conjuratorum quisque sibimetipsi imprecari solebat, « Fέκαστον ἐ[π]αριόμενον. » Hoc vero quoque animadvertendum esse censemus, conjuratorum scilicet numerum, non modo cum causæ magnitudine, sed etiam cum illius, qui captus erat, dignitate congruere. Nam quum de L stateribus aut plus agebatur, si adulter erat civis, quatuor conjuratores adesse oportebat; si cliens, duos; si servus, unum. « Αἰ δέ κα πωνῇι δολωσάθθαι, ὀμόσαι τὸν ἑλόντα τῶ πεντηκονταστήρω καὶ πλίονος πέντον αὐτὸν Fὶν αὐτῶι Fέκαστον ἐ[π]αριόμενον, τῶ δ' ἀπεταίρω τρίτον αὐτόν, τῶ δὲ Fοικέοι τὸν πάσταν ἅτερον αὐτόν, μοικίοντ' ἑλέν, δολωσάθθαι δὲ μή [4]. » Sic omnes, sacramentis datis, asserebant et reum in manifesto scelere deprehensum fuisse, nec maritum illi insidias, ut eum caperet, comparavisse. Verum in ceteris causis jusjurandum tantum reo deferebatur [5]. Ex quibus exemplis intelligas Græcos quondam sensisse, quo plures cum aliquo cognati erga deos sese obligarent, eo certiores de re judices

1. Aristot., *Pol.*, II, IV, 12.

2. Rœhl, *Inscript. antiquiss.*, 322; — Reinach, *Traité d'épigraphie grecque*, p. 20; — Gilbert, *op. cit.*, p. 468, nota 2.

3. Lex Gortyniorum, *Recueil des Inscr. jurid.* (Dareste, Reinach, Haussoullier), pp. 360, 433.

4. Id., p. 360 (13).

5. Id., p. 433.

fieri. Ut postea apud Francos evenit, cognatorum jurajuranda magis quam cujuslibet valebant.

II. — De « ordaliis ».

Quinetiam, si, illis priscis temporibus, consuetudines, quæ fuerint, quærere pergimus, non parum nobis mirandum esse videtur Græcis non abhoruisse illa testimonia quæ in medio ævo « ordalia » vocabantur [1]. Cujus rei non quidem multa exempla sed certa colligas, siquidem ordalia memineris jurajuranda augustiora fuisse, quibus quis non solum deum ad se vocaret, sed se ipsum divinæ potestati in quibusdam elementis insitæ traderet, pessima, si mentiatur, passurus. Apud Sophoclem, exempli causa, quum Polynicis cadaver, vetante Creone, pulvere opertum sit, custodes, ut regis jussa, quantum quidem ad sese pertineat, non violata esse probent, se paratos esse ad ferrum ardens manu prehendendum aut ad incedendum inter flammas dictitant [2]. Hic de testimonio, quod reus per flamnas aut ferrum præstat, agitur; apud Bacchylidem autem exemplum invenimus quo testes patet aqua usos esse, quod maxime in plerisque gentibus et in medio ævo valuit [3]. Nam fert ille poeta Theseum una cum Minoe, quum in Cretam tributum annuum, qua cædes quædam antiqua pensaretur, adducerent, Minosque aliquam virginem polluere tentavisset, in magnum jurgium venisse : Theseum vero ira incensum in Minoa vehementius invectum esse simul ac Neptunum patrem suum jactaret [4]; cui Minoa sese Jovis esse filium respondisse, et ad patrem esse precatum, ut si reipsa pater suus esset, hoc signo certo omnibus manifestum faceret,

> Ζεῦ πάτερ, ἄκουσον · εἴπερ [μ' ἀλαθέως]
> Φοίνισσα λευκώλενος, σοι τέκ[ε],

1. Du Cange, *Gloss. med. et inf. lat. Ordalium.* Hæc valuisse Gilbert (p. 472) omnino negat.

2. Sophocles, *Antigona*, 240.

3. Ut apud Celtas. Vide d'Arbois de Jubainville, *op. cit.*, p. 26 : Le jugement de l'eau ; — Bacchylides, XVII, 30-85.

4. *Id.*, 29-39.

νῦν πρόπεμπ' ἀπ' οὐρανοῦ θ[οὰν]
πυριέθειραν ἀστράπαν,
σᾶμ' ἀρίγνωτον [1] ·

ac Theseo suasisse, si reipsa Neptuni filius esset, ut patri se committeret atque in mare se projiceret,

... εἰ
δὲ καὶ σε Τροιζηνία σεισ[ίχθ]ονι
φύτευσεν Αἴθρα Ποσει-
δᾶνι, τόνδε χρύσεον
χειρὸς ἀγλαόν,
δικὼν θράσει <τὸ> σῶμα πατρὸς ἐς δόμους
ἔνεγκε κόσμον βαθείας ἁλός [2].

Sic disceptatio quædam inter utrumque fit, an reipsa dei alicujus filii sint, superique ipsi, ut de causa testimonium dent, orantur. Quis autem illi certamini finis fuerit poeta enarrat : scilicet Jovem, fulmen ejiciendo, magnos tribuisse filio dilecto honores [3]; quem, gaudio correptum, Theseum efflagitavisse, ut promissa teneret ; tum Theseum, ut cui non deesset sui patris fiducia, ad patrem confugisse et in mare se projecisse,

τῷ δ' οὐ πάλιν
θ[υ]μὸς ἀνεκάμπετ' ἀλλ' εὐ-
πάκτων ἐπ' ἰκρίων
σταθεὶς ὄρους, πόντιόν τέ νιν
δέξατο θελημὸν ἄλσος [4].

Quæ autem Theseo apud Neptunum advenerint, quomodo brevi super æquor redierit, dona Amphitrites in manibus ferens, nostra parum refert ; sed hoc majoris momenti est, illum, ut ea, quæ asseruisset, vera esse monstraret, in maris aut Neptuni ditionem se tradidisse. Neque aliter Celtæ illi egerunt, qui, Juliano auctore, pueros in clypeo quodam impo-

1. Bacchylides, 53-57.
2. Id., XVII.
3. Id., 67-76.
4. Id., 81-85.

sitos, in Rheno portandos committebant, ut sic omnibus pateret utrum ex adulterio, an non, orti essent [1]. Bacchylidis autem ex illa fabula hunc morem apud Græcos viguisse constat.

Interdum etiam in civilibus causis, quod magis mirari possis, illo testandi genere litigatores utebantur. In Sicilia enim, non longe a Palica, fontes erant unde sulfurata emanebant; ad quas prope litigatores, ut jurajuranda emitterent, incedere solebant. Nam perjuros, ut omnium opinio ferebat, necesse erat aut perire, aut saltem, oculis evulsis, cæcos fieri [2]. Hæc vero apud cunctos Græcos usitata esse infitias imus, quum civitas quæque suos mores tueretur nec una eademque ratione omnes de judiciis sentirent. Earum tamen nonnullæ fuerunt apud quas « ordalia » ad jurajuranda accederent; itaque recte quæri potest num apud Græcos, ut in medio ævo, litigatores, ad causam defendendam, singuli contra singulos dimicarent.

III. — An lites singulorum præliis dirimerentur?

Nonnulli autem merito animadverterunt non tali pugna causas judicari potuisse, nisi inter ambos, priusquam arma sumerent, convenisset ut victor iis, quæ sub lite essent, potiretur [3]. Græcos vero ad hæc certamina pronos fuisse ex nonnullis fabulis apertum habemus. Nonnunquam enim cives duo, joci causa, inter se pugnabant; sic in *Iliade* Ajax Diomedesque, ut Sarpedonis arma mererent, decertaverunt [4]. Sic Theseus, quum Minos, ut Androgeo, memoriæ causa, ludos publicos dedicavit, cum duce quodam, Tauro nomine dimicavit et tanquam præmium, libertatem juvenum quos in Cretam adduxerat, accepit [5]. Quæ quidem certamina manifestum est similia fuisse iis quæ in ludis publicis inter athletas committi solebant.

1. Juliani, *Epistola*, XI. — Confer. d'Arb. de Jub., *op. cit.*, p. 28.
2. Aristoteles, *De mirabilibus*, 57; — Diodorus, XI, 89-90.
3. D'Arbois de Jubainville, *op. cit.*, p. 48.
4. *Il.*, XXIII, 812-823.
5. Philochorus (*Fragm. histor. graec.*, p. 390); — Plutarchus, *Theseus*, 19.

Quodsi ad alia transimus, civitates nonnunquam, postquam duo milites electi inter se dimicaverant, de lite sua decedebant. Memoria enim Græcorum proditum est sic Eteoclem ac Polynicem, ut sævissimis bellis quibus Thebani et Argivi vexarentur, finis fieret, de regno contendisse; postquam vero fratres alter alterum gladio occidit, ad pugnam hostes revertuntur. Atque in *Iliade* Hector Parin cum Menelao de Helena ac divitiis ejus decertare jubet [1]. Tum Græcis ac Trojanis pugnare desinentibus, reges utriusque civitatis in medios exercitus, ad indutias paciscendas, procedunt. Hostiis deinde mactatis, ambo jurejurando spondent se, donec Paris ac Menelaüs dimicati sint, pacem esse servaturos victorique Helenam ac divitias ejus relicturos. Quo pacto Paris ac Menelaus manum conserunt. Quid quod illa fabulæ certioribus testimoniis firmantur? « Monomachias » enim ex antiquissima ætate apud Græcos usitatas esse Ephorus tradit, « εἰς μονομαχίαν προελθεῖν κατὰ ἔθος τι παλαιὸν τῶν Ἑλλήνων [2] ». Nam, quum bellum inter Epeios Ætolosque de Elide exortum esset, et utrinque pares vires essent, illis visum esse duos milites, apud Ætolos, Pyraichmen et apud Epeios, Degmenon, inter se dimicare; postquam vero Degmenos victus esset, Ætolos terram obtinuisse [3].

At illa certaminum exempla ad civitatum jurgia potius quam privatorum attinent. Hoc enim est Thebanorum prælium cum Argivis, illud Trojanorum cum Graecis, tertium Epeiorum cum Ætolis. Quando vero inter duos privatos lis exorta esset, sic Græcos egisse nullum est testimonium; atque ex bellis privatis (de quibus quidem supra dictum est), quæ priscis temporibus sæviebant, nullum prorsus vidimus cui, dum duo viri inter se dimicant, finis factus sit [4]. Quodsi usque eo provectus ero, quum jam essent judicia publica, ne vestigium quidem ullum hujus consuetudinis apparebit. Profecto autem, si talia certamina exstitissent, mirum esset nullam

1. *Il.*, III, 16-32.
2. *Strabo*, VIII, p. 547.
3. *Id.*, VIII, p. 547. Quod, antequam ludi Olympici instituerentur, evenit.
4. D'Arbois de Jubainville (*op. cit.*, pp. 48-60) non jure, nostra quidem sententia, pugnam inter Parim et Menelaum ut privatum habet et apud Græcos certamina inter singulos exstitisse, ut lites dijudicarentur, existimat.

memoriam neque ullum vestigium superavisse, præsertim quum alii mores, ut familiarum ultiones aut jurajuranda usque ad recentiorem ætatem pervenerint. Ceterum, quod haud absurdum fuerit mentionem facere, etiam nunc apud nos illa certamina, quæ medio ævo inter singulos usitabantur, legibus quidem invitis, vigere [1].

IV. — Quæ fuerit Solonis tempore in judiciis nova testimoniorum ratio.

Ergo illa sunt ex quibus intelligere possis qua ratione judicia publica sexcentesimo circiter anno ante J. C. emitterentur. Scilicet sive partibus jusjurandum deferebatur, sive ex « ordaliis » judicabatur, hæc vel ipsa testimonia maxime valebant quæ quondam, quum privati sibimet ipsi injuriarum suarum pœnas repeterent, usitabantur. Sic quum judices munus litium inter cives comparandarum acceperunt, non omnino rejecerunt antiquos mores. At quo tempore illi majorum mores penitus mutari cœperunt? Solonis leges non modo in judicia, ut jam vidimus [2], sed etiam in testimonia multa novaque attulerunt. Namque, quum litteræ magis atque magis pervulgatæ essent, ideoque scripta undique pro dictis abundare cœpissent, paulatim mos fuit testimonia scripta ante judices proferre. Non quo jusjurandum omnem vim amiserit; sed sæpius placuit eo abstinere et, quod quidem minus horrebant, diplomatà exhibere. Qua consuetudine in legibus suis probata, Solo jusjurandum ita demum litigatoribus, si nullum aliud testimonium suppeteret, deferri jussit. « Κελεύει γὰρ Σόλων τῶν ἐγκαλουμένων, ἐπειδὰν μήτε συμβόλαια ἔχῃ, μήτε μάρτυραι, ὀμνύναι καὶ τὸν εὐθύνοντα δὲ ὁμοίως [3]. » Jam quum litigatorum uterque jusjurandum dederat, judices, qui δοξασταί nominabantur, uter recte juravisset, dijudicabant, « δοξασταί · κριταί εἰσιν οἱ διαγιγνώσκοντες πότερος εὐορκεῖ τῶν κρινομένων [4] ». Ad jusjurandum igitur quasi ad extremum

1. Tarde, *Les transformat. du droit*, p. 31.
2. Vide ad caput v.
3. *Lexicon Seguer.*, 242, 19. (Gilbert, *op. cit.*, p. 466.)
4. *Id.*

præsidium partes confugiebant; qui mos non multum differt cum hac nostra lege quæ in « Codice civili » inscribitur. Apertum igitur habemus modo si quis, ad jus suum firmandum, nullum testimonium scriptum haberet, illum adversario jusjurandum deferre posse [1].

V. — Quæ temporis acti vestigia permanserint.

Sic, postquam Solonis leges, DXC anno ante J. C. prolatæ sunt, utililatis communis causa, exstitere judicia reipsa publica atque certa ratione lata. Tantum tamen abfuit ut judices omnino in eumdem modum atque apud recentiores gentes, aut etiam apud Romanos causas tractarent, ut multa temporis acti vestigia et Athenis, et in aliis civitatibus perduraverint. Quæ vestigia, qualia fuerint, indicare possis, nunquam scilicet omnino familias ab antiquis juribus suis destitisse, sed eas et civitatem jura inter se quasi divisisse.

Primum enim, etiam postquam reipublicæ interesse visum est a sontibus injuriarum pœnas repetere, tamen ultionem privatam non omnino desueverant, dummodo inter cognatos lis esset atque intus domi parietibus clausa maneret. Quanquam igitur Solo paternam potestatem aliquantum infirmaverat, tamen pater in familiam imperium exercere atque, haud aliter quam priscis temporibus de liberis suis, de conjuge, de servis judicia, et sæpius quidem sæviora, nullo intercedente, facere nondum desiit. Ergo non recte quidam mirati sunt Draconem, quum de injuriis gravissimis pœnas ferret, parricidium omisisse, quum manifestum sit parricidium privatam esse injuriam quæ ad familiam, non ad civitatem pertineret. A Platone utique fabulam quamdam antiquam accepimus in qua qui patrem trucidavissent ipsos liberis suis trucidari oporteret [2]. Unde apparet nunquam omnino familiarum prisca jura a civitate superata esse. Quinetiam ea est causa cur Gortyniæ semper, ut homericis temporibus, actio de adulterio intra domum exercita sit. Quem-

1. *Codex Civilis,* III, v, 1357-1370. Judici etiam licet litigatorum cuidam jusjurandum deferre.

2. Plato, *Leges*, IX, 872-873 (ed. Didot, II, p. 433).

admodum enim Martem in *Odyssæa* vidimus Vulcani dolo correptum, ita Gortyniæ maritus inimicum, si in manifesto scelere deprehendebat, in vincula conjiciebat. Deinde, nullo judice auxiliante, ipse cum tribus testibus sontis cognatis rem significabat iisque imperabat ut intra quintum diem cognatum redimerent « ΠροFειπάτω δὲ ἀντὶ μαιτύρων τριῶν τοῖς καδεσταῖς τῷ ἐναιλεθέντος ἀλλυέ(θ)θαι ἐν ταῖς πέντ' ἀμέραις, τῷ δὲ δώλω τῶι πάσται ἀντὶ μαιτύρων δυῶν · αἰ δέ κα μὴ ἀλλύσηται, ἐπὶ τοῖς ἑλόνσι ἦμεν κρήθθαι ὀπαῖ κα λείωντι [1] ». Qui si pactum abnuebant, reus in mariti arbitrium omnino veniebat. Sic, nullius imperio interposito, res se inter duas familias tota habebat, nec maritus, nisi reo insidias molitus erat [2], apud judices citari poterat.

Deinde, quantumvis in plerisque civitatibus res everterentur vel novarentur, semper eæ, quæ de nece vindicanda antiquis temporibus vigebant, consuetudines perduraverunt. Athenienses vero, quum apud eos mos judiciorum sæpe mutatus sit civilesque actiones judicibus e civibus sumptis tractandæ sint commissæ, tamen nunquam Areopagum ephetasque capitis causis orbaverunt, quia in his causis aliqua religio inesset, propter quas sontes diis ipsis pœnas dependere deberent. Nam Antiphon, in oratione de Herodis cæde, Athenienses amplissime laudat quod leges de cædibus omnium pulchrissimæ ac venerandissimæ ab iis institutæ sint « κάλλιστα νόμων ἁπάντων κεῖσθαι καὶ ὁσιωτάτα [3]; quas antiquissimas esse omnium quæ Athenis unquam exstiterint, deinde easdem de iisdem rebus usque adhuc permansisse. « Ὑπάρχει μέν γε αὐτοῖς ἀρχαιοτάτοις εἶναι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, ἔπειτα τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν [4]. » Demosthenes quoque eadem fere laude Draconis leges ornavit [5],

Ut vero Demosthenes simul cum æqualibus suis antiquas illas leges propter ipsam antiquitatem laudibus effert, ita (quæ quidem animi inconstantia notanda est) nonnulla ad easdem leges pertinentia reprobat ac rejici velit. Nam teste

1. *Recueil des inscr. jurid. grecques*, I, p. 361 (12).
2. Vide ad caput III.
3. Antiphon., *De cæde Herodis*, XIV.
4. Id.
5. Demosth., *Adv. Leptin.*, 157.

ipso Demosthene memoriæ nobis proditum est usque ad ejus ætatem morem de cæde componendi floruisse. Sicut olim, tum quoque, priusquam in judicium venire statuebant, jus erat mortui cognatis, si cum interfectore pactum iniretur, de omni actione desistere. Sic apud Demosthenem videmus Theocrinem, postquam frater ejus trucidatus sit, quis fuerit interfector, exquirere, non ad eum citandum, sed ut pecuniam, tanquam fratris occisi mercedem, accipiat. « Τοιοῦτος ἐγένετο περὶ αὐτὸν οὗτος, ὥστη ζητῆσαι τοὺς δράσαντας καὶ πυθόμενος, οἵτινες ἦσαν, ἀργύριον λαϐὼν ἀπηλλάγη [1]. » Cui orator, quod sic egit, crimini quidem tribuit, non vero quod lege vetante in compositione venerit. Idem in ea quam adversus Pantænetum habuit oratione acriter questus est quod nulla injuria ac ne cædes quidem componendo expiari non posset : quamvis enim facinus omnibus pateret sanguinisque vestigia nondum deleta essent, si qua fieret compositio, interfectorem civitatis quoque legibus immunem evadere [2]. Ita hoc uno verbo, nempe si qua compositio facta esset, reum morti et exsilio eripi [3].

Quod Demosthenes vehementissime indignatur. Nam quoniam illa ætate hominum ingeniis pudor quidam exquisitior adhibitus erat, Draconis leges cum eorum moribus modestioribus factis jam non erant consentaneæ. Scilicet jam non intelligebant quo priscæ leges tetendissent, quum, familiarum auctoritate paulatim debilitata, antiquum jus cognati ulciscendi abolitum esset. Itaque non probare poterant propinquos pro pecunia de actione desistere, ut qui pœnam jam non damni pretium, sed sceleris piandi rationem esse haberent. Hæc quoque fuit quam ob causam non jam familiarum sed civitatis jam esset ab interfectore pœnas repetere.

1. *Adversus Theocrinem*, 28.

2. Quodsi, priusquam animum redderet, is qui interfectus erat, interfectori veniam dedisset, nullum mortui propinquum de cæde agere posse.

3. Demosthenes, *Adversus Pantænetum*, 58-59. Cum illis antiqui juris vestigiis conferre licet quæ adhuc in Tunicensi colonia nostra permanserunt. Cf. L. Lapie, *Les civilisations tunisiennes*. Paris, 1898, p. 142 : « Le jour de l'expiation, le bey confronte le meurtrier avec les parents de la victime ; il demande une dernière fois à la famille si elle consent à accepter le prix du sang : sur son refus, le bey, silencieux, étend la main, et le coupable est conduit à la mort. Le bey n'a pas le droit de grâce.... »

CONCLUSIO

Nunc quum ad viæ nostræ terminum pervenimus, iter inceptum quasi repetere necesse est, ut accurate exquiramus quantum illæ judiciorum mutationes ad Græcorum historiam illustrandam valeant. Sic enim nonnulla in itinere collegemus quæ ad res quoque alias non minimi momenti esse arbitramur.

I

Primum enim constat apud Græcos semper eamdem rationem judiciorum et sacrorum fuisse. Quod et in aliis gentibus valuisse plerumque in medio est; sic apud Celtas jus ulciscendi, cum iis quæ de vita futura sentirent congruisse, sollertius d'Arbois de Jubainville demonstravit [1]. Nam priscis temporibus, quum religio in majores aut cognatos Græcis penitus insita esset, ultio quasi officium habita est, quo quis dum fungitur, eum, qui vi occisus erat placaret. Itaque impius omnibus videbatur quicumque de nece cognati pœnas non repetebat; atque non solum apud suos quasi nota inurebatur, sed etiam ab ipso mortuo implacabili odio lacessebatur. Postea vero aliud visum est; nam postquam civitates bene moratæ esse inceperunt, diique, ut ferebatur, eas concordia donare valuerunt, omnem seditionem etiamsi ulciscendi causa accendebatur, omnes reprobavere. Tunc arbitri floruerunt qui nomine Jovis jus dixerunt, populum δίκῃσι ἰθείῃσιν regentes. Mox Græcis magis atque magis ad pacis amorem procedentibus, omnis cædes pro scelere habita est quo civitas et ipsa rerum natura læderetur. Tunc lustrationis ratio quam Apollo ferebatur instituisse simul ac mos Del-

1. *Droit celtique*, I, 1-9.

phici oraculi consulendi invaluit [1]. Itaque judices summa potestate de cædibus pronuntiaverunt quia in sontes vindicando non solum mortui familiam, sed omnes cives divinitus ulcisci videbantur. Sic in ultionis privatæ locum, ultio publica successit, vel eodem tempore quo deorum publicorum sacra laribus familiaribus majestate præstare cœpissent.

II

Quæcumque autem fuerit illa mutatio, tamen apud Græcos familiarum jura maxime valuisse constat, adeo ut sæpe vel ipsius civitatis utilitate præstarent. Unde haud immerito asseruerit aliquis Græcorum civitates, usque ad extremum, quasi cœtus familiarum fœderatarum fuisse quæ solum communi commodo adligarentur. Principio, ut ex *Iliade* nobis apparuit, ad millesimum annum ante J. C., nondum erat, ut ita dicam, intra civitatem vis publica qua cives aut de jurgiis suis decedere aut pacem servare cogerentur. Tunc si quis trucidabatur, statim ejus proximi armis captis bellum gerebant, donec interfectorem capite deminutum mortui manibus, piaculi causa, haud secus atque hostiam obtulissent. Illa enim ætate hæc una erat litium componendarum ratio : scilicet par pari respondere. Sin autem discordias placare omnemque necis memoriam abolere iis placuerit, inter sese, nullo cogente vel interveniente, fœdera inibant pretiumque cædis arbitrio suo statuebant. Eadem igitur erat tunc inter familias commercii ratio quam postea inter civitates et nunc inter populos esse constat.

Deinde, DCC circiter anno fuit genus quoddam judiciorum in tempus quidem duraturum. Tunc Græci ad id propensiores evasere, ut discordiis quibus civitas diutius disturbaretur placatis securius vitam omnes agerent. Itaque plerique, arbitro ab ipsis electo, a quo damni pretium acciperent, lites suas componendas commisere. Reges forsitan, at certe senatus, ut arbitrio controversias dirimerent, magis ac magis rogati sunt, sed multum abfuit ut eorum sententia

1. Gilbert (*op. cit.*, pp. 506-507).

partes obligarentur, quum jus privatorum inter se vel pugnandi, vel componendi, integrum permaneret. Tandem quum ad annum DCXXI ante J. C. judicia publica in omnibus fere civitatibus emitterentur, non ideo antiquæ consuetudines omittuntur, sed potius novis moribus aptantur. Cædem enim, etiamsi ulciscendi causa perpetrata sit, rem fœdissimam esse civitatisque esse hanc reprimere omnes sentiunt; quamvis autem hac ætate judices publica potestate ornati interfectores persequantur, nunquam tamen cognati officio liberati sunt, sed potius munere suo fungi lege publica coacti sunt; quinimmo, semper illis jus fuit, priusquam actio publica intenderetur, pro nece pretium accipere. Unde apparet nunquam apud Græcos res institutaque penitus eversa esse, sed de judiciis idem quam de sacris publicis factum esse. Quamquam enim deorum ii qui civitatis præsides habebantur paulatim aliis præstitere, tamen semper familiarum penatibus sacrisque privatis majestas quædam relicta est. Non alio modo, quamvis publicæ potestati cives omnes subjicerentur, nunquam illa patrisfamilias in suos dicio, nec mutua cognatorum religio abolitæ sunt.

III

Deinde ex illis mutationibus quas in agendis litibus reperimus hoc maxime apparere atque in lucem collocandum esse censeo, scilicet non a regibus qui temporibus homericis florerent, sed potius ab optimatibus qui paulo post in civitatibus summa rerum potiti sint, potestatem publicam adeo auctam fuisse, ut hac cives, ad lites suas tractandas uterentur. Immerito enim qui has quæstiones tractaverunt, hoc persuasum habuerunt, reges quondam exstitisse maxima potestate ornatos quorum in ditione non solum belli sed etiam domi omnes omniaque essent. Hoc autem ex homericis poematis patet tum modo suam quemque legem secutum esse, neque magnam fuisse regibus potestatem, nisi, vel ut dii patrii, hostias mactando colerentur, vel civitas a periculo quodam extraneo servaretur. Itaque non, ut sæpe dictum est, regum potestas, primum maxima, deinde imminuta est; sed

quum primum cives laxis vinculis congregati, deinde strictius inter se colligari vellent, non reges sed optimates vim remque publicam, quæ singulorum civium jure præstaret, constituere conati sunt. Sic octingentesimo fere anno ante J. C. novum civitatis genus increbuit, usque ad extremam Græciæ ætatem perduraturum, quum omnes civitatis utilitatem venerabiliorem quam privatorum esse consentirent. Tunc privati paulatim de antiqua libertate sua decesserunt, adeo ut brevi ægerrime ferrent, si quis, vel ad religionem erga cognatos servandam, armis confestim captis, civitatem totam seditione perturbaret. Tandem DC anno ante J. C., ut pax inter cives publice firmaretur, judices publici, qui adhuc solum arbitrorum munere fungebantur, summa potestate omnes lites dijudicavere facinoraque morte aut exsilio repressere. Sic in omnibus civitatibus potestas publica constituta est quæ privatam antecelleret; præterea patet optimatum opera rem ad hunc eventum perductam esse.

IV

Præterea, quum ita res se haberet, nunquam ad perfectam judiciorum rationem Græci pervenerunt. Diutius enim apud eos quam apud Romanos privata bella permanserunt atque apud Ægyptos judices summa potestate de litibus dijudicaverunt, longe antequam in Græcia ullum judicii publici vestigium exstitit. Insuper etiam postea, quum Græci ipsi causas ad judices publice electos commiserunt, non omnino, ut supra vidimus antiquos mores rejecerunt. Semper enim vel eo ipso tempore quo civitati magis quam ante sunt subjecta, familiarum juribus aliquid sancti insitum esse visum est, neque ulla unquam lex lata est, qua hæc omnino abolerentur. Quis igitur non videat in plerisque civitatibus, non omnes sontes sic in judicium compelli solitos esse. Atque si hi mores Athenis usque ad Demosthenem perduraverunt, quanto magis in aliis quoque civitatibus quæ nondum ad ita excultam politamque civitatis rationem pervenerunt! Quare quanquam multi, ut Plato in *Legibus* aut Aristoteles in *Politica* jam lucide senserunt omnia facinora publice esse

vindicanda, nunquam tamen huc res apud Græcos evasit, neque in actionibus capitis potestas publica omnino pollens fuit. Atque familiæ tum demum de suis antiquis moribus destitere, postquam magnis mutationibus antiqua agendi ratio in Græcia eversa est. Nam quum leges Romanorum paulatim in omnes civitates importatæ sunt, Græcique antiquis sacris relictis Christi doctrinam amplexi sunt, tunc nova rerum ratio majorum mores e loco dejecit. Præterea antiquius plerisque fuit ut Cæsari obsequerentur quam ut religionem erga cognatos servarent.

V

Tandem, priusquam illa veterum Græcorum instituta relinquamus, non animadvertere non possumus multa intercessisse inter illa et hæc quæ apud alias gentes vel medio ævo, vel etiam recentioribus temporibus inveniuntur. Sæpius enim fuit, quum Græcorum instituta iis quæ apud Celtas, vel Germanos, vel Francos medio ævo usitabantur, conferre possem. Quam similitudinem nonnulli censuerunt ex hoc fieri quod omnes illæ gentes ex eodem loco originem duxerint atque principio ex « Arianis » instituta et sacra sua acceperint. Nunc vero multo aliter rem sese habuisse constat, quum eosdem de privatis ultionibus mores apud gentes quasdam inveniamus quæ nequaquam ab « ariana » stirpe, ut « Kabyles », aut « Ossetes », aut « Judæi », ortæ sunt. Quodsi accurate exquiras qua causa apud gentes diversissimas iidem viguerint mores, nihil eam causam non originem esse, sed potius civilia instituta cernas. Omnibus enim gentibus quæ privatas ultiones, aut necis pensationes, aut jurajuranda usurpaverunt, hoc commune fuit nullum apud eas exstitisse publicum imperium quo privatorum jura servarentur aut sicariorum vis refrenaretur. Apud Græcos, exempli causa, non vidimus reges eo potestatis venisse ut privatos suis legibus subderent; item apud Germanos aut Celtas ceterosque hujus modi populos. Itaque quum imperium a Romanis constitutum ubique decrescere incepit, neque fuit jam civibus ulla res communis, simul publica

potestas ac publica judicia aboleri cœpta sunt. Tunc quid mirum si ad primas hominum consuetudines barbari redierunt, quum privatis non jam ulla vi publica, sed modo cuique suis viribus niti liceret. Iterum enim privati privatim injurias suas ulti sunt, iterumque gentes privatis seditionibus disturbatæ sunt, quæ solum fœderibus, inter privatos summa potestate ictis, solvebantur. Postquam autem, ut quondam apud Grœcos, vis publica in plerisque locis constituta et simul firmata est, tunc privati pacem servare judicibusque summa potestate instructis, causas committere coacti sunt. Sic in diversis temporibus, ab iisdem causis eadem exiere, quum ex nostris indagationibus colligere liceat in omnibus gentibus quibus vis publica desit, discordias privatas privatim componendas esse; simul autem atque potestate publica cives regantur, causas publice a judicibus tractari oportere.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona
A. D. XVII Kal. Dec. ann. MDCCCXCVIII
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus.
A. CROISET.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector.
GRÉARD.

INDEX RERUM

PROŒMIUM

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

CAPUT V

CAPUT IV

Le Puy-en-Velay. — Imprimerie R. Marchessou, boulevard Carnot, 23.

MASQUERAY (E.). — Formation des cités chez les populations sédentaires de l'Algérie (Kabyles du Djurjura, Chaouïa de l'Aouras, Beni Mezab). In-8 .... 10 »

— De Aurasio monte, ab initio secundi p. Ch. sæculi usque ad Salomonis expeditionem. In-8 .... 4 »

PIAT (C.). — L'intellect actif, ou du rôle de l'activité mentale dans la formation des idées. In-8 .... 4 »

— Quid divini nostris ideis tribuat Divus Thomas. In-8 .... 2 »

PIQUET (F.). — Étude sur Hartmann d'Aue, poète allemand du XIIe siècle. In-8 .... 7 50

— De vocabulis quæ, in duodecimo sæculo et in tertii decimi principio, a Gallis Germani assumpserint. In-8 .... 3 »

RECÉJAC (E.). — De mendacio quid senserit Augustinus. In-8 .. 3 »

RÉVILLE (Jean). — La Religion à Rome sous les Sévères. In-8. (Épuisé.) .... 10 »

THIBAUT (Fabien). — Les douanes chez les Romains. In-8 .... 5 »

— Traité du contentieux de l'administration des douanes. In-8 .... 7 50

THIBAULT (Francisque). — Marguerite d'Autriche et Jehan Lemaire de Belges, ou de la littérature et des arts aux Pays-Bas sous Marguerite d'Autriche. In-8 .... 5 »

— Quid de puellis instituendis senserit Vives. In-8 .... 3 »

TOUCHARD (Georges). — La morale de Descartes. In-8 .... 4 »

— De politica Huberti Langueti doctrina. In-8 .... 2 50

WADDINGTON (A.). — L'acquisition de la couronne royale de Prusse par les Hohenzollern. In-8 .... 7 50

— De Huberti Langueti vita (1518-81). In-8 .... 3 »

WALTZ (A.). — Des variations de la langue et de la métrique d'Horace dans ses différents ouvrages. In-8 .... 5 »

— De Carmine Ciris. In-8 .... 3 »

THÈSES DE L'ÉCOLE DU LOUVRE

BERGER (J.). — Un nouveau contrat bilingue démotique grec, publié et expliqué. In-4 .... 7 50

BOUDIER (Emile). — Un contrat inédit du temps de Philopator. In-4, avec planche .... 5 »

DENISSE (Léon). — Deux papyrus démotiques, publiés et expliqués. In-4 .... 3 50

GROFF (W.-N.). — Les deux versions démotiques du décret de Canope, textes, étude comparative, traduction, commentaire historique et philologique. In-4 .... 10 »

LEGRAIN (J.). — Le livre des transformations, texte démotique publié et traduit. In-4, avec 14 planches .... 12 »

MALLET (D.). — Le culte de Neit à Saïs. In-8 .... 15 »

PATURET (G.). — La condition juridique de la femme dans l'ancienne Egypte. In-8 .... 6 »

Le Puy-en-Velay. — Imprimerie R. Marchessou, boulevard Carnot, 23.

THÈSES DE DOCTORAT

ALLÈGRE (F.). — Étude sur la déesse grecque Tyché. In-8	4 fr.	»
— De Ione Chio. In-8	3	»
AMÉLINEAU (E.). — Essai sur le gnosticisme égyptien, ses développements et son origine égyptienne. In-4	15	»
— De historia Lausiaca, quænam sit hujus ad monachorum ægyptiorum historiam scribendam utilitas. In-8	6	»
BAZIN (H.). — La République des Lacédémoniens de Xénophon, étude sur la situation intérieure de Sparte au commencement du IVe siècle avant J.-C. In-8	5	»
— De Lycurgo. In-8	5	»
BRÉHIER (LOUIS). — Le Schisme oriental du XIe siècle. In-8.		
— De Græcorum judiciorum origine. In-8.		
CHAPOT (VICTOR). — La flotte de Misène, son histoire, son recrutement, son régime administratif. In-8	5	»
CUCUEL (CH.). — Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon. In-8	5	»
— Quid sibi in dialogo cui Cratylus inscribitur proposuerit Plato. In-8	3	»
DELFOUR (L.C.). — La Bible dans Racine. In-8	5	»
— De narrationibus quæ sunt in S. Augustini sermonibus. In-8	2	50
DENIS (ERNEST). — Huss et la guerre des Hussites, études d'histoire Bohême. In-8	10	»
ELIADE (POMPILIU). — De l'influence française sur l'esprit public en Roumanie. Les origines. Etude sur l'état de la Société roumaine à l'époque des règnes phanariotes. Un fort volume in-8	7	50
— Quomodo fiat syllogismus, quidque valeat. In-8	1	50
FOUCART (GEORGES). — Histoire de l'ordre lotiforme. Étude d'archéologie égyptienne. Grand in-8, illustré de 76 dessins	16	»
GALLOIS (L.). — Les géographes allemands de la Renaissance. In-8, avec reproduction de cartes anciennes	8	»
— De Orontio Finæo, gallico geographo. In-8, avec la grande carte de France d'Oronce Fine et autres cartes anciennes	7	50
JULLIEN (ÉM.). — Les professeurs de littérature dans l'ancienne Rome et leur enseignement depuis l'origine jusqu'à la mort d'Auguste. In-8	7	50
— De L. de Cornelio Balbo Majore. In-8	5	»
MALE (ÉMILE). — L'art religieux du XIIIe siècle en France. Étude sur l'iconographie du moyen âge et sur ses sources d'inspiration. In-8, figures et planches.		
MALOTET (ARTHUR). — Étienne de Flacourt, ou les origines de la colonisation française à Madagascar (1648-1661). In-8, carte et planche	7	50
— De Ammiani Marcellini digressionibus quæ ad externas gentes pertinent. In-8	2	50